This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600007060J

32.

409.

M. TULLI CICERONIS

ORATIO

PRO

A. LICINIO ARCHIA

POËTA.

RECENSUIT

RUDOLPHUS STUERENBURG.

ACCEDUNT ANNOTATIONES.

LIPSIAE

SUMPTU BAUMGAERTNERI.

MDCCCXXXII.

409.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

RUDOLPHUS STUERENBURG

CASP. RUDOLPHO IHERING,

AVUNCULO DILECTISSIMO,

S. P. D.

Etsi propter innumerabilia beneficia, quibus Tu, mi avuncule, cum totam domum nostram, tum praecipue me semper ornavisti, non potui, quin gratissimum meum in Te animum publice profiterer, tamen vehementer vereor, ne huius ipsius rei venia abs Te mihi petenda sit. Sciunt enim, qui Te norunt, Te, qua es animi magnitudine, beneficentissimum esse clam potius quam palam, omnisque gratiarum actiones neminem Te magis fugere. Vel ego, qui quidem duos iam annos hic Lipsiae litteris studeo, nuperrime demum ex epistola carissimae matris cognovi, Tibi deberi, quod hilare possum peragere hoc studiorum tempus. Id quamquam Te invito comperi, spero tamen, fore, ut ignoscas, quod ob benevolentiam tam insignem gratias Tibi hoc loco egi, quantas poteram maximas: non dubitare Te, quin intimo sentiam animo, quae quantaque Tibi debeam, certe scio. Quamquam igitur du-

dum mihi erat persuasum, non opus esse tali gratiarum actione apud Te, qui quidem satis habes bene fecisse, tamen hoc lubentius hanc potissimum arripui occasionem, maximas Tibi gratias persolvendi, quod, si quid quando in litteris praestabo, tuo iure id poteris vindicare. Nunquam mihi enim, Frisio, contigisset, ut Portae disciplina fruerer, nisi Tu summum pueri desiderium illius scholae, Tibi vehementer probatum, studuisses explere. Ac Portae quidem praeceptoribus debere me, quicquid scio, quantulumcunque est, id semper prae me feram, semperque nomina Ilgeni, Langi, Neuii, tamquam summae venerationis exempla, in animo meo insculpta haerebunt. Te vero, mi avuncule, etiam atque etiam rogo, idem, qui adhuc fuisti in domum nostram, esse pergas. Vale.

Scripsi Lipsiae die XXVI mens. Aprilis MDCCCXXXII.

PRAEFATIO.

Origo huius editionis haec est. Abhinc annos prope quatuor cum ascriptus essem ordini scholae Portensis secundo, qui tum florebat auspiciis Langi, viri summi, quem inexorabilis mors iam abripuit, Langius coepit interpretari nobis hancce oratiunculam, non quod praeter ceteras eam dignam haberet, quae ab ista aetate legeretur, sed quia cupiebat, quo erat studio acuendi adolescentium ingenia, attentos nos facere ad vitia quaedam, quae ipsi quoque in hac oratione inesse videbantur. Id igitur agens communicavit nobiscum potiora quaedam, in quibus iure ac merito offenderat Schroeterus, defendit autem alia, in quibus erat manifesto cavillatus. De plerisque quidem locis, qui impugnati sunt a Schroetero, cohibuit iudicium, quia non sane id habuerat animo, coram nobis id aetatis omnia, quae scripsisset Schroeterus,

ita percensere, ut confutaret, quae essent confutanda, probaret, quae probanda. Finita tamen interpretatione eandem fere elocutus est sententiam, quam Orellius ad calcem orationis, qui se dicit ἐπέχειν, utrum sit tribuenda haec oratiuncula ipsi Tullio, an non sit: videre sese, in sententiis quidem certe, declamatorio fere modo elatis, multa non sine causa reprehendisse Schroeterum, at in verbis nimis acriter videri eum esse cavillatum. Ego vero, qui est adolescentulorum mos, ut inveteratam rei fidem, quamvis gravem, impugnent potius quam tueantur, statim, citius quam par erat, arripui Schroeteri rationem, qui hanc oratiunculam non esse Tullianam argumentis quibusdam studuit comprobare; cumque mediocriter tum essem versatus in lectione Tulliana, brevi in rebus grammaticis multa, ab Schroetero omissa, et mihi et aliis videbar invenisse, quae repugnarent prorsus vel ingenio vel dicendi consuetudini Ciceronis. Sed posteaquam diligentius perlegi Ciceronis opera atque initiari coeptus sum arte critica (in qua si quid praesto, debeo Beckio, Hermanno, viris illustribus), tum intelligebam, et quantopere prius essem cavillatus, et vero quam multa inessent in

hac oratione, quae indigerent aliqua illustratione. Ac vehementer optaverim, ut, si qui pertractabit hanc meam editionem, meminerit, quemadmodum ea orta sit. Nam cum per duos annos id egissem, ut investigarem argumenta, quae demonstrarent, non scripsisse Ciceronem hanc oratiunculam, cumque postea diligentius instituta quaestione vidissem, cavillatum me prius esse, is, qui haec recordabitur, multarum annotationum causam atque originem melius perspiciet, atque ignoscet etiam, si interdum longior videbor fuisse, quam opus erat. Quamquam autem, quod ad res grammaticas attinet, nihil prorsus in hac oratione invenietur, quod repugnet Ciceronis dicendi consuetudini, tamen cum et in singulis sententiis et in universa orationis conformatione non raro desideres notam Ciceronis diligentiam, apparebit, opinor, oratorem invito quodam animo suscepisse negotium pro Archia dicendi, non quod ipsum Archiam defensione habuerit indignum, sed quia propter vanitatem argumentorum Gratianorum nihil fere fuit, in quo posset explere summi oratoris partis. Et sine dubio Tullius fuisset repudiaturus talem causam, nisi gratum sese debuisset praestare in illum, cuius prae-

ceptis vox sua erat conformata. Quare cum eis hominibus doctis, qui tantis laudibus solent ecferre hanc orationem, ne ego quidem ullo modo possum consentire, sed potius ex mediocrium esse contendo numero, quae non sunt tam paucae, quam vulgo putant. Atque sic ante Schroeterum non modo iudicaverat Christianus Adolphus Klotzius in *Actis Litterariis* IV, p. 50, sed antiquissimis iam temporibus Tacitus, acerrimus ille iudex, cuius tamen iudicium nescio quomodo non est recordatus quisquam, ne ipse quidem Schroeterus, de hac oratione, sicut de oratione *pro Quintio*, existimaverat secus. Legitur illud iudicium in *Dialogo de Oratoribus* cap. 37, ubi ita scripsit Tacitus: *Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit. Non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit, nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt; Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt.*

Nec vero male suspicatur Matthiaeus, Ciceronem hanc orationem, ut habitam in

causa satis levi neque magna etiam contentione, haut magni fecisse, et, cum maxime necessaria et initia tantum scripsisset reliqua ex tempore exsecuturus, haec a notariis excepta seposuisse, nec secundis curis postea elaborasse, h. e., ut Asconius loquitur, *in commentariis reliquisse*. De qua re conferri iubet Quintilianum IV, 1, 69; X, 7, 30. Ita factum esse, ut Cicero in habenda oratione capita rerum tantum attingeret, copiosior tamen in is, quae de laudibus studiorum humanitatis dixerit, scilicet loco communi, saepe fortasse iam tractato, vel quo praecipue delectaretur.

Sequitur, ut de subsidiis loquar, quibus usus sum ad emendandam hanc orationem, quae quidem, quod ad criticam attinet, semper numerata est in difficilioribus: nec id iniuria. Nam cum haec oratio, quae miro iudicio ab hominibus mediae, quam vocant, aetatis pro exemplo eloquentiae haberi solebat, toties sit descripta, non potuit fieri, quin manus Tulliana saepenumero oblitteraretur. Atque cum insignes quaedam corruptelae deprehendantur in codicibus ad unum omnibus (ut 1, 2 *huic cuncti;* 3, 4 *contigit*, et 5 *fuerit*, quod ne sic quidem poteris defen-

dere, ut dicas, intelligendum esse sequens adiectivum *familiarissima*, ab eoque pendere ipsum quoque dativum *adolescentiae*. Quis enim credat, tam contorte scripturum fuisse Ciceronem? 9, 22 *et marmoratis laudibus;* 12, 32 *quae firme a me iudicialique*), apparebit, opinor, ex satis corrupto codice fluxisse codices omnis, qui adhuc sunt collati. Sed quod iure ac merito poterant queri homines docti, antequam rite esset collatus codex Erfurtensis, cuius in hac ipsa oratione gravissimam esse auctoritatem nemini non persuadebo, id si qui nunc, posteaquam accuratissimam istius libri accepimus a Wundero collationem, vellet conqueri, ostenderet profecto, non posse sese, quod tamen est facillimum, diiudicare de auctoritate codicum. Quare miratus sum vehementer, non fere perspexisse Matthiaeum, qui quidem primus post denuo collatum codicem Erfurtensem ediderit hanc oratiunculam, gravissimam eius auctoritatem; nam, cum ab uno alterove loco discessi, quibus vir doctissimus secutus est librum optimum, omnia vitia, quae usque ad hoc tempus in editionibus tolerata erant, quaeque omnino ex illo debebant corrigi codice, passus est remanere. Quamquam

non id egit Matthiaeus, ut criticam daret editionem, sed consuluit discipulis potius quam praeceptoribus, si modo id est consulere discipulis, in manus is dare editionem, in qua quavis pagina aliquoties oblitterata est manus Tulliana.

Sic autem existimo de auctoritate codicis Erfurtensis. Istum librum antiquum satis corruptum, e quo omnes, quos nunc habemus, fluxisse putandi sunt huius orationis codices, complures descripserunt librarii. Is, qui scripsit codicem Erfurtensem, unus est ex omnibus, qui accuratum libri antiqui dedit exemplum, nisi quod paucissimis locis recepit nescio cuius correctiones (ut **10, 25** *cum ei* pro *cui cum;* ibidem *iubere* pro *iussit;* **11, 28** *adhortatus sum* pro *adhortavi*), quae quidem correctiones sine dubio iam in antiquo illo libro erant ascriptae, atque interdum solita librariorum oscitatione totos omisit versus (ut **5, 11** omisit verba *iure esse versatum, et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit hereditates civium Romanorum* propter proxima illa *in civium Romanorum;* **6, 12** verba *doctrina excolamus, aut ferre animos* propter proximum illud *animos nostros;* et **7, 15** haec *naturae ipsius habitu*

prope divino per se ipsos et moderatos et gravis exstitisse fateor. Etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina propter proxima verba *sine doctrina*).

Multo accuratius autem descripsisse librarium codicis Erfurtensis antiquum illud exemplar, quam ceteros, ex multis colligi debet locis, quibus solus Erfurtensis veram habet lectionem, in ceteris autem pravae repertae sunt scripturae. Sic, ut ex multis insignibus exemplis pauca hoc loco afferam, 5, 9 unus codex Erfurtensis elegantissimam illam praebet lectionem *talibus* pro ceterorum codicum lectione *tabulis;* 8, 19 unus Erfurtensis habet *voci*, quod rectissimo iudicio iam ex Quintiliano receperant editores fere omnes pro *voce*, quod in ceteris Ciceronis legitur codicibus omnibus; 12, 31 unus Erfurtensis *cum* — *tum* pro soloeca ista ceterorum codicum lectione *tum* — *tum;* ibidem unus ille codex praeclarum illud habet *ingeniis* pro ineptissima ceterorum lectione *negotiis*.

Atque cum in Erfurtensi omnes fere lectiones, quae erant in antiquo illo libro, etiamsi essent ineptissimae, bona fide a librario sint descriptae, multo profecto est

maior illius libri auctoritas, quam ceterorum librorum, quorum librarii saepenumero infelicibus coniecturis studuerunt emendare corruptelas, quas invenerant in antiquo illo exemplari. Nec enim raro ex corruptis Erfurtensis codicis lectionibus facillima mutatione verissimae potuerunt Ciceroni restitui lectiones pro pravis coniecturis, quae in ceteros irrepserunt codices. Facile, quae dixi, possum comprobare. Cf. 5, 10, ubi ex certissima emendatione scripsi *non gravate*. Cum enim liber ille antiquus, e quo originem duxerunt nostri codices omnes, sine dubio eadem illa praebuerit verba corrupta, quae leguntur in Erfurtensi, *vel gratuito gravat* (h. e. *gravate*), plerique librarii, qui quidem senserant, haec sic ferri non posse, temere receperunt ineptum istud *gratuito*, neque viderunt, ipsam particulam *vel* indicare, vocabulum *gratuito*, ortum ex coniectura, casu in Ciceronis verba esse insertum, verissimam autem latere lectionem in isto *gravate*, nihil scilicet aliud nisi *non gravate*. Antiquo enim iam tempore interciderat particula negans. Quamquam igitur mirandum est, quod nuperrime etiam Handius in *Turs.* II, p. 757 potuit contendere, istud ipsum *gratuito* hoc loco

significare *ohne weiteres*, tamen praeclare sensit vir doctissimus, quae potissimum sententia hoc loco desideraretur, scilicet *non gravate*. Sic 5, 11 pro vulgata ista lectione *praetore et consule* certissima est coniectura Graevi *proconsule*, confirmata fere lectione codicis Erfurtensis *praetore consule*. Nam cum is, qui scripsit antiquum illum librum, e quo fluxerunt nostri codices, compendium hoc *P̄RCONS̄*, hoc est *proconsule*, non esset recordatus, sed illud *PR̄* habuisset pro compendio *praetoris*, quod tamen est *P. R.*, factum est, ut ineptum illud scriberet *praetore consule*, sicut remansit in Erfurtensi. Ceteri autem librarii, qui corruptelam non perspexerant, inseruerunt copulam. Sic prava ista lectio *censitam*, quae ibidem in multis legi videtur codicibus pro *censam*, manifesto orta est ex corrupta lectione *censeam*, quae cum in Erfurtensi legatur, eandem in antiquo illo libro lectam esse sumo. Nam *e* propter duas huius litterae lineas facillime potuit legi *it*. Eodem modo ratiocinatus suspectum habui 9, 21 vocabulum *regionis*, tamquam ortum ex proximo *regiis*, propterea quod in Erfurtensi, sine dubio igitur etiam in antiquo illo libro, inepta legitur lectio *na-*

turae regione. Id ineptum esse cum perspexissent librarii, correxerunt *natura regionis*, non reputantes, istud *naturae regione* ortum esse ex mendo librari *natura regiis.* Porro eadem paragrapho certissimam, ut opinor, erui lectionem ex corrupta Erfurtensis scriptura hac *quae quorum ingeniis haec feruntur.* Nam cum sic in antiquo illo libro esset scriptum, Erfurtensis quidem codicis librarius bona fide haec descripsit, verumtamen alii librarii cum in his verbis corruptelam inesse vidissent, nec corruptelae originem perspexissent, ex *quae* aut fecerunt *quia* aut *quare.* At meminisse debebant librarii, *haec feruntur* corrumpi solere ex *ecferuntur.*

Iam paucissima irrepserunt glossemata in codicem Erfurtensem, duobus scilicet locis. Nam verba *sed credendum est*, quae **5, 10** post *noluisse* sunt addita, debentur glossatori; voluit enim is, qui haec addidit, significare, credendum esse, Rheginos, Locrensis, Neapolitanos, Tarentinos civitatem Archiae impertisse. Alterum glossema est **9, 20**, quo loco ante verba *quod acroama* in Erfurtensi horum legitur interpretatio haec *qualia carmina.*

Sed haec hactenus de auctoritate codicis

Erfurtensis, quam vel maximam esse in hac oratiuncula, qui non intellexerit, invenietur nemo. Verum si iam mirabar, Erfurtensem illum a Matthiaeo tantopere neglectum esse, multo profecto miratus sum magis, antiquissimum ac praestantissimum codicem Ambrosianum, cuius novam collationem, longe illam accuratiorem, quam fuit prior, debemus diligentiae Angeli Maii, a nullo adhuc rite esse aestimatum. Nam cum commentario doctissimi scholiastae historicae quaedam difficultates, de quibus infra loquar, prorsus tolluntur, tum haut sane paucis locis ipsa Ciceronis verba ex illo codice debebant emendari. Corruptelae autem, quae non ita multae in illo libro deprehenduntur, omnes sunt levissimae, nec ullo loco latent altius. Nam is, qui scripsit illum Ambrosianum, ante oculos habuisse videtur exemplar parum distincte exaratum, quare, cum praeterea librarius iste imperitissimus fuerit sermonis Latini, fieri potuit, ut legeret *quem* pro *Quintum*, *cuius* pro *huius*, *quia propter* pro *quapropter*, *ingenti* pro *ingenii*, *Lucullus* pro *Lucullos*, *eximiae* pro *eximie*, *Clodium* pro *Plotium*, *qui aeloqui* pro *alii alveolo*, eius generis alia. Gravissimam esse autem codicis Ambrosiani auctoritatem, ex multis

conclusi locis, quibus unus ille veram praebet lectionem. Cf. 2, 3 *rectissimum* pro *lectissimum*; 3, 5 *unum* pro *hunc*; 10, 25 *iussit* pro *iubere*, *sed ea condicione* pro *sub ea condicione*; 11, 28 *adoravi* pro *adhortavi*. Porro 10, 25, quo loco miram primo aspectu coniecturam *praedium*, de qua aliquamdiu cogitasse me propter scripturam codicis Ambrosiani *praetium* non infitior, videatur confirmare locus apud Athenaeum VII, p. 261, c, ed. Casaub. (quem locum debeo amicissimo Keilio) *Νικόλαος Σύλλαν φησὶ, τὸν Ῥωμαίων στρατηγὸν, οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς φιλόγελων γενόμενον, ὡς καὶ πολλὰ γῆς μέτρα αὐτοῖς χαρίζεσθαι τῆς δημοσίας.* Tum pro particula *enim* scriberem *homini*, quod si scriptum erat *mini*, facile potuit legi *enim*. *Praedium* autem existimandus esset cum ironia quadam Sylla tribuisse poëtae, scilicet ut haberet, unde viveret, nec opus esset, ad vitam sustentandam versus facere. Vix potuit autem melius Sylla spiritus mali poëtae reprimere, atque sic etiam iure optimo potuit condicionem ponere, *ne quid postea scriberet*. In commentario autem scholiastes unam prorsus sustulit difficultatem, quae in re quadam historica antea fuerat. Docemur enim, *praetorem* illum, *virum rectissimum*,

qui commemoratur 2, 3, neminem esse alium nisi *Q. Ciceronem*, M. fratrem, collegam *C. Virgili*, in quem quidem *Virgilium* inciderat coniectura Ilgeni. Gesserunt autem *Q. Cicero* et *C. Virgilius* praeturam in Urbe A. U. 692. Ac praeclare cadunt, id quod iam vidit Maius, in fratrem ultima oratiunculae verba *ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certe scio*, quae non fere poterant dici nisi de eo, qui erat familiarissimus Ciceroni. Aliis quibusdam rebus historicis, in quibus haeserunt multi homines docti, non illis quidem lucem affert scholiastes, verumtamen istis locis veras esse omnium codicum lectiones, ex eo profecto colligas, quod eaedem lectiones inveniuntur apud antiquissimum illum scholiastam. Primum 3, 5 ab ipso quoque scholiasta in antiquissimo codice inventi sunt et *Tarentini* et *Rhegini* et *Neapolitani*, sicut et hoc loco et 5, 10 in recentioribus codicibus omnibus, ut non possit esse dubium, quin *Tarentum* illo tempore fuerit civitas foederata. At enim visum est hominibus doctis obstare testimonium Vell. Pat. in *Hist. Rom.* I, 15, 4, ubi haec legi dicuntur in codicibus: *Cassio autem Longino et Sextio Calvino, qui Sallues*

apud Aquas, quae ab eo Sextiae appellantur, devicit, consulibus (h. e. A. U. 630) *Fabrateria deducta est abhinc annos ferme CLVII et post annum Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptunia, Carthagoque in Africa prima, ut praediximus, extra Italiam colonia condita est.* Et profecto, si vera esset lectio apud Velleium, putide errasset Cicero, quod *Tarentum* inter municipia retulisset, cum ex Velleio sequeretur, *Tarentum* illo tempore fuisse coloniam. Quis autem credat, Ciceronem tam fuisse ignarum rerum historicarum, talem ut committeret errorem? Persuasi mihi vero, apud Velleium istud *Tarentum* oscitanti deberi librario, eumque, cum in codice antiquo scriptum esset *Forentum*, litterarum similitudine inductum posuisse notius illud nomen *Tarenti.* Certe propter illum locum Velleii, de cuius integritate potius est dubitandum quam de doctrina Ciceronis, non debebat Schroeterus tantopere invehi in Ciceronem. Tum *Sillani* (sic 4, 7 codices omnes, etiam Erfurtensis) lex et *Carbonis* etiam a scholiasta affertur, neque confirmata est recepta ab omnibus fere editoribus coniectura Manuti, qui pro *Sillani* legendum esse censuerat *Silvani.* Probavit igitur etiam Niebuhrius apud Maium omnium

codicum scripturam allato Vell. Pat., qui in *Hist. Rom.* II, 12, 2 commemorat *Carbonem Sillanumque*, Mari aequalis, sine dubio eosdem, de quorum lege nostro loco fit mentio. Verisimile est igitur, tulisse illam legem *Sillanum* et *Carbonem* circa A. U. 650. Utique autem consulendus est Iahnius in *Ann. Phil.* I, p. 189, qui de aliis huius loci difficultatibus disseruit doctissime. Deinde confirmavit scholiastes 4, 6 omnium codicum lectionem *Siciliam*, quamquam ipse rem non illustravit, quae quidem habet aliquam difficultatem. Omnino autem sumendum est, quod Beckius, vir summus, contendit, *L. Lucullum* negoti privati causa in *Siciliam* profectum esse, nec videntur repugnare, id quod arbitrati sunt Schroeterus et Matthiaeus, huic coniecturae verba illa *cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet*. Nam *ex provincia decedere* non solos dici magistratus, meo iure videor colligere ex illo loco *ad Fam.* II, 11, 2 *De pantheris, per eos, qui venari solent, agitur mandatu meo diligenter; sed mira paucitas est: et eas, quae sunt, valde aiunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia nisi sibi fiat: itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere.*

Restant alia quaedam eiusdem generis, de quibus erit dicendum. Cap. 4, 8 secuti sumus libros manu scriptos omnis, qui quidem consentiunt in lectione *M. Lucullus*, nec videtur esse satis iusta causa, cur a multis editoribus praelata sit coniectura Naugeri *L. Lucullus*. Nam cum codices omnes doceant, *M. Lucullum* affuisse, neque in ipsa oratione huic rei quicquam repugnet, acquiescendum erit in ea lectione, quae tanta nititur auctoritate. Sumi poterit autem, *M. Lucullum* iam fuisse *Heracleae*, cum *L. Lucullus* cum Archia in illam urbem veniret, potius quam cum ambobus *Lucullis* iter fecisse Archiam, id quod profecto commemoraturus fuisset Cicero supra 4, 6, quo quidem loco nihil aliud narrat, nisi cum *L. Lucullo* Archiam profectum esse in *Siciliam*, et cum *eodem Lucullo* venisse *Heracleam*. *Heracleae* igitur ambo *Luculli* operam dederunt, ut Archias civitate Heracliensi donaretur, quam maxime Archias *L. Luculli* auctoritate et gratia, in qua erat ille apud Heracliensis, impetravit. Atqui cum diceret Cicero pro Archia, unus aderat *M. Lucullus*, qui cum *Heracleae* una cum fratre pro Archia egisset, eius testimonium (12, 31) multum debebat valere. Huc accedit, quod ex nullo loco huius orationis,

quo commemoratur *L. Lucullus*, aliquo modo concludi potest, affuisse eum, sed ita fere de *L. Lucullo* loquitur Cicero, ut de absenti. Cf. 4, 6; 5, 11; 9, 21.

Denique, quod in Ambrosiano 9, 20 pro ceterorum codicum lectione verissima *L. Plotium* scriptum est *L. Clodium*, id nihil aliud esse nisi mendum librari (eiusmodi autem menda ex illo libro plura attulimus supra), ex ipsius scholiastae verbis poterit cognosci. Ad illud nomen enim haec annotavit: *Hic primus Romae studia Latina docuisse* (fertur). Quae verba cum eadem fere sint atque ea, quibus Cicero in *epist. ad M. Titinium* apud Sueton. *d. clar. Rhet.* c. 2 commemorat *L. Plotium*, luce est clarius, merum librari mendum esse istum *L. Clodium*. Haec autem loco laudato scripsit Cicero: *Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse L. Plotium quendam, ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere.*

Reliquum est autem, ut significem, eas lectiones, quas orationi subiiciendas putavi, Orelliani esse exempli.

Scripsi Lipsiae die XXVI mens. Aprilis MDCCCXXXII.

M. TULLI CICERONIS

PRO

A. LICINIO ARCHIA

POËTA ORATIO.

M. TULLI CICERONIS

PRO

A. LICINIO ARCHIA POËTA

ORATIO.

I. 1. Si quid est in me ingeni, iudices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si huiusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens hunc video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quodsi haec vox, huius hortatu praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios servare possumus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus. 2. Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc

---

I. §. 1. possumus] *possemus.*

facultas sit ingeni, neque haec dicendi ratio aut disciplina, ne nos quidem huicce uni studio penitus unquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur.

II. 3. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur, me in quaestione legitima et in iudicio publico, cum res agitatur apud praetorem populi Romani, rectissimum virum, et apud severissimos iudices, tanto conventu hominum ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam, ut me pro summo poëta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum litteratissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de studiis humanitatis ac litterarum paullo loqui liberius, et in eiusmodi persona, quae propter otium ac studium minime in iudiciis periculisque tractata est, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi. 4. Quod si a vobis tribui concedique sentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, putetis asciscendum.

III. Nam ut primum ex pueris excessit Archias atque ab is artibus, quibus aetas puerilis

---

I. §. 2. huicce uni] *huic † cuncti.* II. §. 3. agitatur] *agatur.* rectissimum] *lectissimum.* 4. a vobis] *mihi a vobis.* asciscendum] *adsciscendum fuisse.*

ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit, primum Antiochiae (nam ibi natus est loco nobili), celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibns liberalissimisque studiis affluenti, celeriter antecellere omnibus ingeni gloria coepit. Post in ceteris Asiae partibus cunctaeque Graeciae sic eius adventus celebrantur, ut famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admirationemque superaret. 5. Erat Italia tunc plena Graecarum artium ac disciplinarum, studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc isdem in oppidis, et hic Romae propter tranquillitatem reipublicae non negligebantur. Itaque unum et Tarentini et Rhegini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt, et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famae cum esset iam absentibus notus, Romam venit, Mario consule et Catulo. Nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium atque auris adhibere posset. Statim Luculli, cum praetextatus etiamtum Archias esset, eum domum suam receperunt. Sed etiam hoc non solum ingeni ac litterarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut domus, quae huius adolescentiae prima faverit, eadem esset familiarissima senectuti. 6. Erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico et eius Pio filio, audiebatur a M. Aemilio, vivebat cum Q. Catulo, patre et filio, a L. Crasso co-

III. §. 4. coepit] *contigit.* celebrantur] *celebrabantur.* admirationemque] *admiratioque.* 5. unum] *hunc.* Sed etiam hoc] *Sed* [*etiam*] *hoc.* faverit] *fuerit.* 6. patre] *et patre.*

lebatur; Lucullos vero et Drusum et Octavios et Catonem et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret, afficiebatur summo honore, quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

IV. Interim satis longo intervallo cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus et cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam, quae cum esset civitas aequissimo iure ac foedere, ascribi se in eam civitatem voluit, idque, cum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracliensibus impetravit. 7. Data est civitas Sillani lege et Carbonis si qui foederatis civitatibus ascripti fuissent; si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi. Cum hic domicilium Romae multos iam annos haberet, professus est apud praetorem Q. Metellum, familiarissimum suum.

8. Si nihil aliud nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius, causa dicta est. Quid enim horum infirmari, Grati, potest? Heracleaene esse tum ascriptum negabis? Adest vir summa auctoritate et religione et fide M. Lucullus, qui se non opinari sed scire, non audivisse sed vidisse, non interfuisse sed egisse dicit. Assunt Heraclienses legati, nobilissimi homines; huius iudici causa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt: qui hunc ascriptum Hera-

---

IV. §. 7. Sillani] *Silvani*. 8. M. Lucullus] *L. Lucullus*. ascriptum Heracliensem] *adscriptum* † *Heracleensem*.

cliensem dicunt. Hic tu tabulas desideres Heracliensium publicas, quas Italico bello incenso tabulario interisse scimus omnes? Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere, quaerere, quae habere non possumus, et de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare, et cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipi iusiurandum fidemque, ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare, tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. 9. An domicilium Romae non habuit is, qui tot annos ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit? An non est professus? Immo vero is tabulis professus, quae solae ex illa professione collegioque praetorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

V. Nam cum Appi tabulae negligentius asservatae dicerentur, Gabini, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas omnem tabularum fidem resignasset, Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum, praetorem, et ad iudices venerit et unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur talibus nullam lituram in nomen A. Licini videtis. 10. Quae cum ita sint, quid est, quod de eius civitate dubitatis, praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit ascriptus? Etenim cum mediocribus multis, aut nulla aut humili aliqua arte praeditis, non gravate civitatem in Graecia homines imper-

---

IV. §. 8. desideres] *desideras.* 9. An] *At.* habuit is, qui] *habuit. — Is qui.* An] *At.* V. talibus] *tabulis.* 10. dubitatis] *dubitetis.* aut] *et aut.* non gravate] *gratuito.* impertiebant] *impertiebantur.*

tiebant, Rheginos credo aut Locrensis aut Neapolitanos aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic, summa ingeni praedito gloria, noluisse. Quid? cum ceteri non modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserunt, hic, qui ne utitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracliensem esse voluit, reiicietur? 11. Census nostros requiris. Scilicet, est enim obscurum, proximis censoribus hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuisse, superioribus cum eodem quaestore fuisse in Asia, primis, Iulio et Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed quoniam census non ius civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se iam tum gessisse pro cive, is temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem iudicio eum in civium Romanorum iure esse versatum, et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit hereditates civium Romanorum, et in beneficiis ad aerarium delatus est a L. Lucullo proconsule. Quaere argumenta, si quae potes; nunquam enim neque suo neque amicorum iudicio revincetur.

VI. 12. Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc homine delectemur. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse, quod

---

V. §. 10. irrepserunt] *irrepserint.* 11. requiris. Scilicet, est enim] *requiris scilicet.* — *Est enim.* ita se] [*ita*] *se.* proconsule] *praetore et consule.* si quae] *si qua.* enim] *enim hic.* VI. §. 12. tantopere] *tanto opere.*

quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus, aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum; ceteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum neque in aspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut a nullius unquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit? 13. Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, alii alveolo, pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas, quae quantacunque in me, nunquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur, illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam sentio. 14. Nam nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnis cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilia parvi esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos

---

VI. §. 12. a nullius] *ab nullius.* 13. alii alveolo, pilae] *quantum denique aleae, quantum pilae.* in me] *est in me* 14. magnopere] *magno opere.* exsilia] *exsilii.*

profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni sunt omnes libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas, quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accenderet. Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt! quas ego mihi semper in administranda republica proponens animum et mentem ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam!

VII. 15. Quaeret quispiam: „quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditae sunt, istane doctrina, quam tu ecfers laudibus, eruditi fuerunt?“ Difficile est hoc de omnibus confirmare; sed tamen est certum, quod respondeam. Ergo multos homines excellenti animo ac virtute fuisse et sine doctrina naturae ipsius habitu prope divino per se ipsos et moderatos et gravis exstitisse fateor; etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego hoc contendo, cum ad naturam eximiam et illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere: 16. ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos: ex hoc fortissimum virum et illis temporibus doctissimum, Catonem illum senem; qui pro-

---

VI. §. 14. sunt omnes] *omnes sunt.* accenderet] *accederet.* VII. §. 15. ecfers laudibus] *laudibus effers.* quod] *quid.* Ergo] *Ego.* hoc contendo] *contendo.* et illustrem] *atque illustrem.* 16. Catonem] *M. Catonem.*

fecto si nihil ad percipiendam, colendam virtutem litteris adiuvarentur, nunquam se ad earum studium contulissent. Quodsi non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen, ut opinor, hanc animi adversionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum; at haec studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

VIII. 17. Quodsi ipsi haec neque attingere neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus. Quis nostrum animo tam agresti et duro fuit, ut Rosci morte nuper non moveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: hos animorum incredibilis motus celeritatemque ingeniorum negligemus? 18. Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de is ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum eandem rem dicere commutatis verbis atque sententiis? Quae vero accurate cogitateque scri-

---

VII. §. 16. colendam] *colendamque.* at haec] *haec.* agunt] *alunt.* VIII. §. 17. animo tam] *tam animo.* et duro] *ac duro.* moveretur] *commoveretur.* hos] *nos.*

psisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem perveniret. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atque sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina et praeceptis et arte constare, poëtam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videntur.

19. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poëtae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos, instituti rebus optimis, non poëtarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant; itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt; permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

IX. Ergo illi alienum, quia poëta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, et qui voluntate et legibus noster est, repudiamus? praesertim cum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam. Nam et Cimbricas res adolescens attigit et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, iucundus fuit. 20. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum

---

VIII. §. 18. perveniret] *pervenirent*. Atque] *Atqui*. videntur] *videantur*. IX. §. 19 et qui] *qui et*.

laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, *quod acroama aut cuius vocem libentissime audiret: eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.* Itaque ille Marius idem eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. 21. Mithridaticum vero bellum, magnum atque difficile et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est; qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrant. Populus enim Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regiis quondam opibus et ipsa natura [regionis] vallatum; populi Romani exercitus, eodem duce, non maxima manu innumerabilis Armeniorum copias fudit; populi Romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum eiusdem consilio ex omni impetu regio atque totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam; nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis; nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphi: quae quorum ingeniis ecferuntur, ab is populi Romani fama celebratur. 22. Carus fuit Africano superiori noster Ennius; itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore. At is laudibus certe non solum ipse, qui laudatur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In coelum huius proavus Cato tollitur; magnus

---

IX. §. 20. idem] *item.* 21. natura [regionis] vallatum] *natura regionis vallatum.* atque totius] *ac totius.* quae] *Quare.* ecferuntur] *haec feruntur.* 22. ipse] *ipsi.* laudatur] *laudantur.*

honos populi Romani rebus adiungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem, maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiiciemus?

X. 23. Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, vehementer errat, propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare, si res eae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare, quod, cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum is certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculorum invitamentum est et laborum. 24. Quam multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen, cum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset, *O fortunate*, inquit, *adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!* Et vere; nam nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortem adaequavit, nonne Theophanem Mytilenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit, et nostri illi fortes viri sed rustici ac milites dulcedine

---

X. §. 23 invitamentum] *incitamentum*. 24. fortem] *fortunam*.

quadam gloriae commoti quasi participes eiusdem laudis magno illud clamore approbaverunt? 25. Itaque credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit. Sylla, cum Hispanos donaret et Gallos, credo, hunc petentem repudiasset; quem nos in concione videmus, cui cum libellum malus poëta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex is rebus, quas vendebat, iussit omne pretium tribui, sed ea condicione, *ne quid postea scriberet.* Qui sedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam, cuius ingenium et virtutem in scribendo et copiam non expetisset? 26. Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucullos impetravisset, qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poëtis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen auris suas dederet?

XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt; in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt. 27. Decimus quidem Brutus, summus vir et impe-

---

X. §. 25. donaret et Gallos] *et Gallos donaret.* videmus] *vidimus.* cui cum] *quum ei.* quas] *quas tunc.* iussit] *iubere.* omne] *ei.* pretium] *praemium.* sed] *sub.* cuius] *huius.* XI. §. 26. studio laudis] *laudis studio.* 27. summus] *summus ille.*

rator, Acci, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Jam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poëtarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poëtarum salute abhorrere. 28. Atque ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Nam quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius urbis atque imperi et pro vita civium proque universa republica gessimus, attigit hic versibus atque incohavit; quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum adoravi. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae, qua quidem detracta, iudices, quid est quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? 29. Certe si nihil animus praesentiret in posterum, et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnis cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret neque tot curis vigiliisque angeretur, nec toties de ipsa vita dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctis ac dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam.

XI. §. 28. adoravi] *hortatus sum.* 29. nec toties] *neque toties.* de ipsa vita] *de vita ipsa.* ac dies] *et dies.* esse dimittendam] *esse † dimittendam.*

XII. 30. An vero tam pravi animi videamur homines, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An statuas et imagines, non animorum simulacra sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt: consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec sive a meo sensu post mortem afutura est, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit, nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector.

31. Quare conservate, iudices, hominem, pudore eo, quem amicorum videtis comprobari cum dignitate, tum etiam vetustate: ingenio autem tanto, quanto id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitum esse videatis: causa vero huiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipi, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae cum ita sint, petimus a vobis, iudices, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis ingeniis commendatio debet esse, ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi Romani res ge-

---

XII. §. 30. pravi] *parvi.* homines] *esse omnes.* An] *An, quum.* reliquerunt] *reliquerint.* nonne] *non.* Haec] *Haec vero.* afutura] *abfutura.* 31. cum dignitate] *tum dignitate.* quanto] *quantum.* huiusmodi] *eiusmodi.* ingeniis] *negotiis.*

stas semper ornavit, qui etiam his recentibus nostris vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudis daturum esse profitetur, isque est eo numero, qui semper apud omnis sancti sunt habiti itaque dicti, sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius quam acerbitate violatus esse videatur. 32. Quae de causa pro mea consuetudine breviter simpliciterque dixi, iudices, ea confido probata esse omnibus; quae non ferme mea iudicialique consuetudine et de hominis ingenio et communiter de ipsius studio locutus sum, ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certe scio.

XII. §. 31. laudis] *laudum.* isque] *quique.* itaque] *atque.* 32. quae non ferme mea iudicialique] *quae non fori, neque iudiciali.* certe] *certo.*

ANNOTATIONES.

Cap. I. §. 1. *Si quid est in me ingeni.* Non potuit dici hoc loco *Si quid in me ingeni est;* nam summa vis posita est in verbo substantivo, cum hoc voluerit significare Cicero, posse dubitari, utrum esset in se aliquid ingeni, necne esset. Sic etiam *d. Orat.* II, 28, 122. *Itaque, si quid est in me (quod iam sperare videor, quoniam quidem vos, his ingeniis homines, tantum operae mihi ad audiendum datis) ex eo est, quod nihil quisquam unquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit.* Cf. Caes. *B. G.* VII, 38 *ext. Proinde, si quid est in nobis animi, persequamur eorum mortem, qui indignissime interierunt, atque hos latrones interficiamus.* Propterea autem hanc rem attigi, quod alii sunt loci, quibus alia istius verbi collocatio item iure praelata est, velut *p. L. Man.* 1, 2 *Nunc cum auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis, certe, si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt.* Nam de sua auctoritate posse dubitari, hoc noluit significare orator, id quod ex is, quae supra erant dicta, apparet, ubi ipse dixerat *cum auctoritatis in me tantum sit.* Nos haec verba possemus interpretari hoc modo: *wenn ich denn einiges Ansehen besitze.*

Ibidem. *quod sentio quam sit exiguum.* Consuetudo optimorum scriptorum ipsiusque Tulli postulabat: *quod quam sit exiguum, sentio;* veruntamen inveniuntur similes loci, atque est causa, cur decesserit hoc loco orator de suo aliorumque dicendi more, de qua quidem causa post dicam. Primum autem confirmabo, quod dixi, solere bonos Latinitatis auctores verbum regens (*sentio*) plerumque ponere post pendentem ab ipso enuntiationem relativam (*quam sit exiguum*), raro inter duo relativa, quorum prius (*quod*) aut subiectum

aut obiectum verbi pendentis est. Iam afferam exempla, ubi, ut hoc loco, verbum regens activum est, et prius relativum subiectum est verbi pendentis: Cic. *p. Planc.* 9, 23 *qui ordo quanto adiumento sit in honore, quis nescit?* 27, 66 *quae quanta sit, nescio. p. Sest.* 29, 62 *quae quanta fuerit, iam mihi dicere non est necesse. in Cat.* I, 6, 16 *quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio. in Verr. A.* I, 9, 26 *qui quam isti sit amicus attendite. A.* II, *l.* I, 12, 32 *quae qualis fuerit, meministis.* 40, 104 *qui principio qualis in edicto constituendo fuerit, cognoscite. A.* II, *l.* II, 14, 36 *qui quantum apud istum potuerint, ex reliquis criminibus intelligetis.* 24, 58 *qui quam tibi amicus fuerit, tu intelligis. in Caecil.* 7, 22 *quae cuiusmodi sint, paullo post commemorabo.* 15, 48 *qui quid in dicendo posset, nunquam satis attendi. p. L. Man.* 13, 36 *quae breviter qualia sint in Cn. Pompeio consideremus. p. Cluent.* 16, 47 *qui qua fide fuerit, meminisse vos arbitror.* 53, 146 *quod cuiusmodi sit, iam videro.* 57, 157 *quod quam late pateat, videtis. p. Mur.* 35, 73 *qui quo animo sit, videmus. p. Flacc.* 32, 77 *quae quidem quam sancte solita sint observari, scitis omnes. in Pis.* 22, 53 *qui qua veneris, quis scit? p. Mil.* 26, 69 *qui quam crebro accidat, experti debemus scire. d. Nat. D.* I, 41, 116 *qui quamobrem colendi sint, non intelligo.* II, 38, 97 *quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus.* III, 6, 15 *quae unde oriatur, non intelligo.* 11, 27 *quod quidem quale sit, iam videbimus. d. Fin.* I, 20, 65 *quod quam magnum sit, fictae veterum fabulae declarant. d. Rep.* I, 10, 15 *quae vix coniectura qualia sint possumus suspicari.* II, 19, 16 *quod quantae fuerit utilitati, post videro.* VI, 20, 21 *qui quam sit parvus, vides. ad Fam.* I, 8, 1 *quae quales sint, non facile est scribere.* II, 8, 3 *quod quando agendum sit, tu optime constitues.* V, 2, 1 *quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum.* XIII, 6, 3 *quae quantum in provincia valeant, vellem expertus esses. ad Quint. Fr.* I, 2, 1, 2 *qui quidem quam frequentes essent adventu suo, Statius ipse cognovit. ad Att.* III, 15, 3 *quae unde sit prolata, nescio.* IV, 1, 3 *quae quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras.* VII, 22, 2 *qui ubi sit, nescio.* XV, 26, 2 *quod quale tibi videretur ut posses interpretari, nisi ad te exemplum epistolae.*

Exempla, ubi prius relativum est obiectum verbi pendentis: Cic. *Tusc.* I, 17, 39 *quem tu quanti facias, scio. d. Fin.* II, 3, 10 *quam cur voluptatem appelles, nescio. ad*

Fam. VII, 30, 3 *quam ille quomodo acceperit, velim ad me scribas. ad Att.* XIV, 14, 6 *quae quam firma habeamus, ignoro.* XVI, 16, 10 *quem quanti facias, prae te soles ferre.*

Exempla, quibus verbum regens passivum, ac prius relativum subiectum verbi pendentis est: Cic. *Orat.* 25, 82 *quod quale sit, ex decoro debet intelligi.* 39, 134 *qui qualis esse debeat, ex is ipsis, quae supra dicta sunt, intelligi potest. d. Nat. D.* I, 13, 34 *qui quo sensu beati esse possint, intelligi non potest.* II, 24, 62 *quod quale sit, ex mysteriis intelligi potest.* III, 14, 34 *quod quale sit, ne intelligi quidem potest. ad Fam.* XI, 8, 1 *qui quid egissent, nihildum nuntiabatur.*

Nec tamen solus Cicero ita loqui solitus est, verum etiam ceteri scriptores, quamquam rarissime apud illos haec figura, si modo est figura, invenitur; velut apud Caes. *B. C.* II, 32 *ext. qui qualis sit futurus, ne vos quidem dubitatis;* apud Liv. XL, 12 *m. quod iam quale sit, scies;* apud Tac. *Dial.* 17 *in. quos cur ascribatis, non video.* — Simili modo in ep. Q. Cic. *ad Tir.* apud Cic. *ad Fam.* XVI, 8, 2 *Cui tu quantum credas, nescio.* Sed in hoc differt hic locus ab aliis, quod prius relativum est dativus, perinde atque apud Cic. *p. Sest.* 52, 111 legitur genitivus: *quorum ille utri sit inimicus, nescio.* — Tametsi autem haec communis omnium scriptorum est dicendi consuetudo, tamen sunt loci apud ipsum Tullium, quibus perinde est scriptum atque hoc huius oratiunculae loco.

Exempla, quibus prius relativum subiectum est verbi pendentis, atque verbum regens statim annectitur priori relativo, rarissima sunt; ut *in Verr. A.* II, *l.* V, 7, 15 *quod nuper ipse iuratus docuit quemadmodum gestum esset.* Usitatius dictum esset *quod quemadmodum gestum esset nuper ipse iuratus docuit. d. Orat.* I, 61, 258 *Illud vero fuit horribile, quod mehercule vereor ne maiorem vim ad deterrendum habuerit quam ad cohortandum.* III, 44, 173 *quod iam vereor ne huic Catulo videatur esse puerile. ad Att.* VII, 20, 2 *qui quidem incertum est Phalarimne an Pisistratum sit imitaturus.* Alio quodam modo scripta sunt verba in *Acad.* II, 39, 124 *quod intelligi quale sit vix potest;* atque ex hoc loco apparet, non posse, sicut facere solent homines docti, plane diiunctas cogitari has duas talis enuntiationis partis.

Nostro autem loco causa apertissima est, cur Tullius ita potissimum scripserit, neque aliter. Nam quam fuisset aspera

Tulli oratio, si sic scripsisset: *quod quam sit exiguum, sentio!* omnique numero tum locus caruisset. Certe tum verbo *sentio* addi debebat adverbium aliquod, ut *probe*, quod aliquo modo numerum restituisset.

Plures autem inveniuntur loci apud Ciceronem, quibus relativo priori, si obiectum est verbi pendentis, statim annectitur verbum regens, aut similis dictio; velut *d. Fin.* V, 1, 3 *quem scis quam admirer, quamque eo delecter.* Numeri causa pro: *quem quam admirer, quamque eo delecter, scis. Orat.* 62, 211 *quae nescio cur nos non recte incisa et membra dicamus.* Numeri causa. Omnium autem saepissime tum sic scripsit Tullius, cum pro verbo regenti eae dictiones ponendae erant, quae nullam admittebant constructionem, ut *p. C. Rab. Perd.* 8, 24 *quos amentissimus fuisset si oppugnasset. in Vatin.* 7, 16 *quem tu dirumperis cum aedilicium vides. ad Fam.* VI, 10, 2 *quod quidem quotidie magis ex eorum sermonibus adducor ut sperem. ad Att.* I, 11, 3 *quas tu incredibile est quam brevi tempore quanto deteriores offensurus sis.* VII, 17, 2 *quae ille amentissimus fuerit nisi acceperit.* XI, 15, 3 *quae fletu reprimor ne scribam. d. Orat.* III, 11, 41 *quae nemo est quin effugere cupiat. p. Cluent.* 66, 187 *quod nemo est Larinatium qui nesciat. d. L. Agr.* I, 7, 21 *quae nemo est quin gravissime et verissime conqueri possit. p. Sest.* 14, 33 *quos nemo est qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet.* — Similis est locus in *Acad.* II, 19, 63 *quorum vides quanta copia semper futura sit.*

Sed fortasse erunt, qui existiment, nostro loco, sicut similibus, illud *quod* non esse nominativum, sed accusativum, ex attractione illa explicandum, qua dixerunt et Graeci saepissime et Latini nonnunquam: *sentio ingenium, quam sit exiguum* pro *sentio, quam sit exiguum ingenium;* ut apud Cic. *Tusc.* I, 24, 56 *Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, omnem denique membrorum et totius corporis figuram videor posse dicere, unde concreta et quomodo facta sint.* At non fere cadit haec attractio in pronomen relativum, nec facile tale aliquid invenietur, quale est *quem scio qualis sit;* quamquam ita fere scriptus est locus *p. Planc.* 21, 52 *neque vero, quo te liberent aliqua culpa, quam tu vereris, ne a te suscepta videatur.* Vide ad 5, 11 *quae tu criminaris, ne ipsius quidem iudicio eum in civium Romanorum iure esse versatum.*

Ibidem. *quam sit exiguum.* Parum adhuc attenderunt homines docti, Ciceronem plerumque in oratione obliqua sta-

tim post particulam *quam* solere ponere coniunctivum modum praesentis verbi substantivi, post coniunctivum autem adiectivum, aut etiam participium; velut *d. Fin.* II, 15, 49 *Videsne, quam sit magna dissensio.* III, 1, 3 *Stoicorum non ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius disserendi genus.* 7, 26 *Videamus nunc, quam sint praeclare illa is, quae iam posui, consequentia.* *d. Rep.* IV, 3, 3 *Considerate nunc, cetera quam sint provisa sapienter.* VI, 20, 21 *qui quam sit parvus vides.* *Acad.* II, 30, 97 *vide, quam sit cautus is, quem isti tardum putant.* *d. Senect.* 5, 15 *Earum causarum quanta quamque sit iusta unaquaeque, videamus.* *d. Off.* I, 30, 106 *intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria.* *Tusc.* II, 4, 10 *Dici non potest, quam sim hesterna disputatione tua delectatus.* 12, 28 *intelliges, quam sit obsistendum dolori.* V, 12, 35 *cum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus.* *d. Div.* I, 36, 79 *Non videmus, quam sint varia terrarum genera?* *Brut.* 17, 69 *Non verisimile est, quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato.* *d. Nat. D.* I, 18, 47 *Vos quidem soletis, quam sint omnia in hominis figura apta, describere.* *in Verr. A.* II, *l.* III, 86, 200 *Haec quam sint gravia, credo vos coniectura assequi posse.* *p. Mil.* 26, 69 *Vide, quam sit varia vitae commutabilisque ratio.* *Philipp.* I, 11, 27 *Video autem, quam sit odiosum habere iratum eundem et armatum.* *ad Fam.* I, 8, 2 *Sed te non praeterit, quam sit difficile, sensum in republica rectum deponere.* III, 10, 10 *quam sis Cn. Pompeio carus quamque iucundus, intelligam.* VI, 4, 1 *nemo est quin cogitet, quam sit metuendus iratus victor armatus.* VII, 15, 1 *Quam sint morosi qui amant, vel ex hoc intelligi potest.* *ad Att.* I, 14, 1 *Vereor ne putidum sit scribere ad te, quam sim occupatus.* II, 24, 1 *novi enim te et non ignoro, quam sit amor omnis sollicitus atque anxius.* VII, 2, 2 *cum sciam, quam sis fortis.* IX, 2 (*A*, 1) *proponis, quam sit turpe me adesse.* 15, 5 *vide, quam sim antiquorum hominum.* XII, 41, 2 *Scis, quam sit φιλαίτιον συμφορά.* 42, 2 *illud alterum quam sit difficile, te non fugit.* XVI, 16, 18 *Scio, quam sis amicis iucundus.*

Ibidem. *aut si* — *aut si.* Esse videatur hoc loco aliqua difficultas in particula *aut*, pro qua quis et uno et altero loco exspectaverit potius *et*. Sed rectissime scripsisse Tullium, is sibi persuadebit, qui legerit, quae Handius *Turs.* I, p. 535 et 537 de usu particulae *aut* disseruit. Vellem vero, vir doctissimus hunc quoque locum attigisset, quippe qui magis fere id demonstret, quod p. 537, 2 exemplis erat

probandum, quam quos ille laudavit locos. Ex verbis autem sequentibus *earum rerum omnium* quamquam apparet, Tullium hoc significare voluisse, in se et esse *ingenium*, et *exercitationem*, et *rationem* (de excludendi igitur aut diiungendi vi hoc quidem loco nequaquam potest cogitari), tamen particulae *aut* ita illam sententiam quasi coercent et circumscribunt, ut significetur, Ciceronem, ut par erat, pluris aestimasse *ingenium*, minoris *exercitationem* et *rationem*. Nos tale *aut* aptissime possumus vertere *oder auch*; apparet igitur, quanto rectius scriptum sit hoc loco *aut*, quam *et*, quod posterius aliquantulum etiam habuisset arrogantiae. Cf. *d. Orat.* III, 28, 109 *Atque horum superius illud genus causam aut controversiam appellant, eamque tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt.* — Sed est in eisdem verbis aliquid aliud, quod quamvis sit Tullianum, tamen in eo possit haerere, qui minus versatus est in lectione Tulliana. Dico illam saepius repetitam coniunctionem *si*, nullo addito verbo, sed intellectis illis, quae supra erant posita *est in me*. Iniuria, inquam, in hoc quispiam offenderetur; namque alii multi similes apud Tullium inveniuntur loci; ut *d. Orat.* I, 16, 69 *Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologiae, Aratum, ornatissimis atque optimis versibus de coelo stellisque dixisse: si de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum, Nicandrum Colophonium, poëtica quadam facultate, non rustica, scripsisse praeclare: quid est, cur non orator de rebus is eloquentissime dicat, quas ad certam causam tempusque cognorit? Tusc.* II, 24, 57 *Cuius contentionis cum tanta vis sit, si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur; sin erit ille gemitus elamentabilis, si imbecillus, si abiectus, si flebilis, ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. d. Div.* I, 39, 84 *Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quae disputavi, verissima, si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si Graeci, si barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poëtae, si sapientissimi viri, qui respublicas constituerunt, qui urbes condiderunt? p. Balb.* 1, 1 *Si auctoritates patronorum in iudiciis valerent, ab amplissimis viris L. Corneli causa defensa est; si usus, a peritissimis; si ingenia, ab eloquentissimis; si studia, ab amicissimis et cum beneficiis cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. ad Fam.* I, 7, 7 *Poterat utrumque praeclare, si esset fides, si gravitas in hominibus consularibus.* Cf. *d. Orat.* II, 84, 340 *Exposui fere, ut potui, vobis in utroque genere causarum*

quae sequi solerem, quae fugere, quae spectare, quaque omnino in causis ratione versari.

Ibidem. *exercitatio dicendi.* Errant vehementer ei, qui hoc loco *exercitationem dicendi* significare existiment *actum se exercendi in dicendo*, hoc est, *Uebung im Reden.* Namquis unquam scriptor dixit *in me est exercitatio dicendi* pro *me exerceo in dicendo?* Apparet autem, *exercitationem* non solum esse *actum se exercendi*, sed etiam *facultatem, quam quis exercendo sibi parat;* et igitur *Uebung*, et *Fertigkeit.* Mirandum est tamen, quod homines docti de hac altera istius vocabuli significatione vix videntur cogitasse, praesertim cum Latini non fere habeant aliud vocabulum ad illud significandum. Atque sunt alii multi loci, quibus vocabulum *exercitationis* eodem modo est dictum; ut *in Cat.* III, 5, 11 *Ita eum non modo ingenium illud, et dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed etiam propter vim sceleris manifesti atque deprehensi impudentia, qua superabat omnis, improbitasque defecit.* Hoc quoque loco manifesto *dicendi exercitatio* idem fere est quod *eloquentia.* Quod igitur nostro loco Tullius dixit *in dicendi exercitatione se mediocriter versatum esse,* non est sic intelligendum, sicut intellexerunt interpretes, quasi significare voluisset orator *lubenter se solitum esse dicere,* sed potius *satis magnam se sibi conciliasse dicendi facultatem.* Ita plane Cic. *d. Orat.* III, 21, 78 *Quid enim meus familiaris C. Velleius afferre potest, quamobrem voluptas sit summum bonum, quod ego non copiosius possim vel tutari, si velim, vel refellere ex illis locis, quos exposuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Velleius est rudis, unusquisque nostrum versatus.*

Ibidem. *vel in primis.* Unus tantum praeterea locus apud Ciceronem invenitur, quo legitur *vel in primis Tusc.* III, 6, 12 *Nec absurde Crantor ille, qui in nostra Academia vel in primis fuit nobilis.* Sed ut bis apud Tullium, illa nullo loco apud alium quemquam scriptorem illud inveni.

Ibidem. *vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet.* Hunc locum nego esse a quoquam adhuc recte intellectum interprete, cum miro iudicio ad unum omnes coniungenda esse arbitrati sint verba *prope suo iure*, neque viderint, cohaerere *repetere prope.* Primum docebo, ineptum fere futurum fuisse Ciceronem, si coniungi voluisset *prope suo iure.* Aperte enim sententiae, quae inest in dictione *vel in primis*, repugnasset istud *prope suo iure*, atque qui dicitur *vel in primis* repetere debere fructum, is profecto *suo iure* debet, non *prope suo iure.* Jam vero

vehementissime offendisset Cicero Archiam suum, si dixisset, *prope suo iure* eum debere illarum rerum repetere fructum. Nam Ciceroni in causa, quam pro Archia dicere constituerat, laudes Archiae potius erant exaggerandae quam diminuendae, quo quidem artificio saepenumero usum esse oratorem nostrum, quis ignoret? Accedit, quod cum dictione *suo iure* nullo unquam loco, neque apud Ciceronem, neque apud alium scriptorem, coniunctae inveniuntur particulae *prope*, *fere*, *ferme*, similes, nec id casu. Nam sententia dictionis *suo iure*, quam nos non plane reddimus nostro *mit vollem Rechte*, non sinit addi restringentem, quam vocant, particulam, propterea quod, ubi dicitur *meo*, *tuo*, *suo iure*, (rarissime autem invenitur *iure meo*) summa est posita vis in pronomine possessivo. Esset igitur fere contradictio, quae vocatur, in adiecto, si quis vellet dicere *prope meo iure*. Non posse igitur iungi *prope suo iure*, satis videor demonstrasse. Venio nunc ad probandam iuncturam *repetere prope*, in qua cavendum erit ne offendantur indocti. *Repetere* hoc loco idem esse quod *petere*, hoc Schroeterus tantummodo potuit contendere, cum constet *repetere* saepe eum dici, qui petit aliquid, tamquam sibi debitum. Sic infra 8, 19 *Homerum Salaminii repetunt*, h. e. petunt, tamquam sibi debitum. Sic *in Caecil.* 5, 17 *Reliquum est iam, ut illud quaeramus, ecquid auctoritatis apud vos in suo iure repetundo socii populi Romani, supplices vestri, habere debeant*; h. e. in suo iure, tamquam debito, petendo. Conferri possunt dictiones *honores reddere*, *gratiam referre*, aliae similes. Vel aptissime igitur huic *repetendi* verbo additum est *prope*, atque verba *earum rerum omnium hic A. Licinius fructum a me repetere prope debet* hoc significant *earum rerum omnium hic A. Licinius fructum*, *sibi debitum prope*, *a me petere debet*. Nimis autem multum dixisset Cicero, si omisisset illud *prope*, quasi vero exempli causa praeceptor, cui multum debes, posset postulare, ut, si quid ederes, pretium, quod tibi bibliopola solveret, sibi redderes; sibi enim deberi suorum praeceptorum fructum. Quod tamen in codice Erfurtensi pro *repetere* legi dicitur *petere*, apparet, primam syllabam vel absorptam proximo vocabulo *me*, vel deletam esse a librario, qui, ut Schroeterus, ignoravit, quid voluerit significare Cicero verbo iuncto. Cf. locum simillimum *d. Off.* I, 1, 2 *Nec vero hoc arroganter dictum existimari velim; nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo iure quodammodo vindicare.* Quo loco pravis

abusus est Ernestius coniecturis, cum vel delendum censuerit *modo*, vel pro *modo* legi voluerit *mihi*, non reputans, nullo loco Ciceronem dixisse *meo iure quodam* aut *meo quodam iure*, quamquam recentiores quidem scriptores id solent terere.

Ibidem. *quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam.* Adhuc nemo interpretum haec verba digna habuit, de quibus dissereret, ac ne Schroeterus quidem, qui in minimis quibusque offensus est, hoc loco cavillandi occasionem arripuit, sed nihil de his scripsit. Verum poterat quispiam in eo offendi, quod cum particula *quoad* coniunctus est superlativus, id quod apud Ciceronem quidem hoc uno loco, verumtamen apud alium neminem scriptorem invenitur. Wolfius, si hanc etiam orationem in suspicionem vocasset, non sane praetermisisset, hoc loco ad id, quod ageret, abuti. At nihil magis est Tullianum, quam quod hoc loco scriptum est. Nam quamquam desunt loci, qui plane eodem modo sunt scripti, tamen aliquot dictionum analogia ostendit, Tullium sic dicere potuisse. Verum est quidem, satis fuisse ad intelligendum hunc locum, si nihil aliud scripsisset, nisi *quoad potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari*, propterea quod in particula *quoad* iam per se inest notio superlativi, tamen id ipsum est vel maxime Latinum, tali vocabulo praeterea superlativum addere, qui magis etiam id explicat, quod per se iam ipsa particula significatur. Sic omnium saepissime particula *quam* addito aliquo superlativo magis etiam explicatur; sic cum vocabulo *quantus* apud ipsum Ciceronem non raro coniunctus invenitur superlativus *maximus*, ut *d. Senect.* 12, 41 *fingere animo iubebat tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima. d. Amic.* 20, 74 *quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia. d. Fin.* I, 12, 41 *Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt. p. Flacc.* 16, 38 *vociferarer, et, quantum maxime possem, contenderem.* Quo loco iniuria Orellius paucorum codicum lectionem *quam* pro *quantum* commendat. *Philipp.* III, 2, 4 *habenda tamen est tanta, quantam maximam animi nostri capere possunt.* Ita etiam Brutus apud Cic. *ad Brut.* I, 4, *m. cuius tantam auctoritatem senatus ac populus Romanus non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera civitate unius esse potest;* et 16 *in. At dolore, quantum animo maximum capere possum, eadem illa pars epistolae affecit.* — Omnium vero saepissime sic

scripsit Livius, ut IX, 10 *ext. quanta maxima poterat vi.* 24 *m. quanto maxime poterat cum tumultu.* X, 29 *m. quanto maximo possent impetu.* 39 *m. quanta maxima vi posset.* 40 *m. quanto maxime posset moto pulvere.* 41 *m. quanta maxima vi possent.* XXI, 41 *in. quanta maxima celeritate potui.* XXII, 3 *m. quantam maximam vastitatem potest.* XXIII, 16 *ext. quanto maximo possent impetu.* XXIV, 21 *m. quanto maximo cursu poterant.* 35 *m. quantae maximae possent.* XXVI, 46 *in. quanto maximo cursu poterant.* XXVII, 41 *ext. quanto maximo impetu possit.* 43 *ext. quantis maximis itineribus poterat.* 49 *in. quanto maximo poterat ictu.* XXVIII, 1 *m. quantis maximis potuit itineribus.* 8 *in. quanta maxima posset celeritate.* 36 *in. quanta maxima posset iuventute.* XXX, 25 *m. quanto maximo impetu poterant.* XXXVI, 44 *in. quanta maxima celeritate potest.* XXXVII, 59 *in. quantus maximus poterat.* XLII, 7 *m. quanto maximo possent tumultu.* XLIV, 27 *ext. quanta maxima posset.* Atque XLII, 15 *in. quanta eximia celeritate poterat.* Kreyssigius satis temere *quanta maxima.* — Par ratio is est locis, quibus *ut* cum superlativo coniunctum est, ut apud Cic. *d. Div.* II, 1, 1 *ut maxime potuimus. d. Fin.* V, 4, 9 *ut brevissime potuit.* 9, 24 *sic affectum, ut optime affici possit, ad naturamque accommodatissime. d. Orat.* II, 41, 174 *Haec ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt. Part. Orat.* 37, 131 *ut potui brevissime. p. Cluent.* 26, 72 *ut blandissime potest. Philipp.* XIV, 11, 29 *ut honorificentissimis verbis consequi potere. ad Fam.* V, 16, 2 *ut potui accuratissime.* Quo loco temere Lambinus *quam potui accuratissime.* VII, 17, 2 *ut gravissime diligentissimeque potui.* XIII, 9, 1 *ut potui diligentissime.* 12, 1 *ut potui diligentissime.* XIV, 4, 5 *ut potes honestissime. ad Att.* I, 16, 6 *ut brevissime potui.* Simili modo *Acad.* II, 25, 81 *quam ut maxime inveneris, eum non sine causa falsum testimonium dicere, ostenderis.* H. e. *simulatque, cum primum.* Cf. *d. Leg.* II, 14, 34 *Sequitur enim de iure belli, in quo et suscipiendo, et gerendo, et deponendo ius ut plurimum valet et fides.* Quo loco editores fere omnes illud *ut* deleverunt, cum non meminissent tot simillimorum locorum. Nam quod Orellius contendit, *ut plurimum* nihil aliud significare posse, nisi *plerumque*, unde id concluserit vir doctissimus, equidem non dispicio. Induxisse eum videtur Graecum illud *ὡς ἐπὶ πλεῖστον*, quod quidem semper significat *plerumque;* sed eadem vi, qua hoc loco dictum est *ut plurimum*, Graeci interdum usurpant

ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, h. e. *quam plurimum, vel plurimum.* — Docet igitur multorum locorum analogia, agnosci hoc loco manum vere Tullianam.

Ibidem. *memoriam recordari.* Cf. *d. Orat.* I, 2, 4 *Ac mihi repetenda est veteris cuiusdam memoriae non sane satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quae viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint de omni ratione dicendi.*

Ibidem. *inde usque repetens.* Videtur hoc ortum ex imitatione dictionis, quae legitur apud Isocr. *Panath. p.* 258 *ἐντεῦθεν ἀρξάμενος*, quem locum aptissime contulit doctissimus Matthiaeus. Quod autem hic unus apud Tullium est locus (nec apud alium quemquam inveni scriptorem), quo hac iunctura legitur *inde usque*, in hoc qui offendatur erit nemo. Nulla est enim causa, quin potuerit sic dici, atque cum hoc ipso loco Tullius Isocratis illam dictionem fere imitatus videatur, apparet, cur non saepius haec iunctura apud Latinos et apud ipsum Ciceronem legatur. Etenim quamvis lubenter Latini Graeca imitentur, tamen in nulla re magis modum servant optimi scriptores, quia, quod quis semel imitatus est, id non debet conteri saepius usurpando. Similiter omnino semel tantum inveni *usque istim* apud Cic. *ad Att.* I, 14, 4 et *usque adhuc d. Rep.* II, 20, 36.

Ibidem. *et ad suscipiendam et ad ingrediendam.* De his verbis sic iudicavit Schroeterus „nos offendit ineptum quoddam acumen in verbis *et ad suscipiendam et ad ingrediendam*, quasi non haec per se ipsa coniuncta sint.“ At talis, quas vocat, ineptias, vel maxime Tullianas esse, nemo ignorat, qui modo aliquid in Ciceronis scriptis versatus sit. Quomodo autem differant *suscipere* et *ingredi*, apparet, ac iam multi ad hunc locum docuerunt viri docti. Cf. hi loci simillimi *p. Sest.* 20, 46 *depugnarem potius cum summo, non dicam exitio, sed periculo certe vestro liberorumque vestrorum, quam non id, quod omnibus impendebat, unus pro omnibus susciperem ac subirem. ad Fam.* V, 12, 2 *Neque tamen, haec cum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum et iam institutarum.* XI, 6, 3 *Illud tibi persuadeas velim, me omnia, quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae est per se amplissima, summo semper studio suscepturum et defensurum. ad Att.* I, 19, 6 *non destiti eadem animi magnitudine in republica versari, et illam institutam ac susceptam dignitatem tueri.*

Ibidem. *hortatu.* Praeterea uno loco apud Ciceronem legitur hoc vocabulum *ad Fam.* XIII, 29, 7 *Hoc mihi velim*

credas, si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Caesaris voluntate, id feci aliorum consilio, hortatu, auctoritate. Nam *p. Flacc.* 37, 92 pauci tantum libri manu scripti habent *hortatu suo*, cum in plerisque legatur *oratu suo*; de qua confusione vide quae dixi cap. 11, 28 ad vocabulum *adoravi*. Cf. Caes. *B. C.* III, 86 *in. suorum omnium hortatu statuerat proelio decertare.* Cornel. Nep. XXIV, 1, 1 *Hortatu L. Valeri Flacci Romam demigravit.* Hi sunt fere ex aureae aetatis scriptoribus loci, quibus legitur *hortatus*, sed tantummodo casu sexto. Item apud Tacitum hic casus duobus locis invenitur *Ann.* I, 3 *m. non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. Hist.* III, 24 *in. alios pudore et probris, multos laude et hortatu accendens.* Sed *Ann.* I, 70 *m.* legitur nominativus pluralis numeri *non vox et mutui hortatus iuvabant.*

Ibidem. *quo ceteris opitulari, et alios servare possumus.* Cf. *p. L. Man.* 10, 28 *qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam ceteri legerunt, pluris provincias confecit, quam alii concupiverunt. p. Syll.* 3, 9 *Quare necesse est, quod mihi consuli praecipuum fuit praeter alios, id iam privato cum ceteris esse commune.* 31, 87 *Itaque idem ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros esse visus sum, tam sum misericors, iudices, quam vos.* Cf. Tac. *Ann.* XIII, 39 ext. *tribus una die castellis expugnatis cetera terrore, et alia sponte incolarum in deditionem veniebant.* Apparet igitur, Tullium lubenter variasse in una eademque enuntiatione vocabula *ceteri* et *alii*; sed ita, ut et *ceteri* et *alii* suam propriam retinuerit significationem. Etenim cum *ceteri*, ut constat, usurpetur, ubi de oppositione aliqua cogitatur, nostro loco illi *ceteri*, quibus se opitulari posse dicit orator, opponuntur ipsi Ciceroni, qui opitulatur. Nos diceremus *die andern*, h. e. qui ope indigent. Quod autem additum est *quo alios servare possumus*, id quidem item poterat dici *quo ceteros servare possumus*, veruntamen haec eiusdem vocabuli repetitio maxime fuisset ingrata. Quare talibus locis variare solet Tullius utrumque vocabulum, cum et in unum et in alterum membrum cadat propria utriusque significatio. Ceterum verissime optimus codex Erfurtensis habet *possumus* pro *possemus*, quod in ceteris deterioribus legitur codicibus, quasi vero voluerit Cicero significare, sibi puero dixisse Archiam, ideo vocem conformandam esse, ut aliquando ceteris opitulari posset. Nihil minus; nam profecto sic debet procedere sententia: Quodsi haec vox, huius hortatu praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: huic profecto ipsi, cuius praeceptis edoctus ceteris opitulari et alios ser-

vare possumus, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus. Coniunctivus igitur plane non cadit in hunc locum, nec dubitavi optimi libri praeferre lectionem.

Ibidem. *et opem et salutem ferre debemus.* Cf. *d. Fin.* II, 35, 118 *cum opem indigentibus salutemque ferres. in Verr. A.* II, *l.* V, 57, 147 *quae saepe multis, in ultimis terris, opem inter barbaros et salutem tulit. p. Quint.* 9, 33 *ea ingenia converti ad perniciem, quae antea versabantur in salute atque auxilio ferendo.* Porro apud Tac. *Ann.* XIII, 41 *in. Sed oppidani, portis sponte patefactis, se suaque Romanis permisere; quod salutem ipsis tulit. Dial.* 5 *ext. Quid erit tutius quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro feras, ipse securus et velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus?* Propterea autem ego hos attuli locos, quod Schroeterus negavit, quemquam unquam scriptorem dixisse *salutem ferre.* Ac iam Matthiaeus, laudato uno illo loco *d. Fin.* II, 35, 118, qui a lexicographis iam dudum erat allatus, satis refutaverat istam Schroeteri opinionem.

Ibidem. §. 2. *neque.* De hoc *neque* conferri possunt, quae disputabo in libro, qui brevi prodibit, de vocabulis negantibus.

Ibidem. *aut disciplina.* Temere Lambinus pro *aut* scripsit *ac,* quod nequaquam Orellius debebat commendare. Nam rectissime scriptum est *aut* propter proximum illud *neque.*

Ibidem. *huicce uni.* Tandem novissimi sibi persuaserunt editores, hoc loco illud *cuncti,* quod omnes dicuntur habere codices, esse corruptum. Erant quidem, qui defenderent, ut Garatonius, qui hunc mirum errorem commisit, ut contenderet, *cuncti* hoc loco idem esse, quod *toti;* sed virum doctissimum Orellius suo iure castigavit. Alia ratione explicare studuerunt Moebius et Frotscherus, ita quidem, ut dicerent, istud *cuncti* non modo ad Ciceronem, verum etiam ad auditores eius pertinere. At quam esset falsa haec interpretatio, Orellius, et nuperrime Matthiaeus docuerunt. Orellius enim recte negavit, talem interpretationem convenire cum priore *nobis,* quod ad unum Ciceronem referretur; sed, quod multo est maius ad istam explicationem infringendam, id omisit exprobrare Orellius. Praeclare autem demonstravit Matthiaeus, id quod iam Weiskius significaverat, eam maxime ob causam non posse ferri istam interpretationem, quod tum desideraretur vocabulum, quod significaret *unice;* nec sane inesse talem vim in vocabulo *penitus,* quod nihil aliud significaret, nisi *us-*

que in intimas studi partis, h. e. *summo opere*. Pro *cuncti* igitur plerique editores receperunt coniecturam *uni*; sed nimirum recte negavit Schroeterus, posse perspici, quemadmodum, si liber antiquus habuisset *uni*, inde fieri potuerit *cuncti*. Ego vero mihi persuasi, solam coniecturam Puteani *huicce uni*, ab omnibus fere adhuc repudiatam, veram esse. Facillime enim ex verbis *huicceuni* potuit oriri *huic cuncti*. Nam librarius cum scripsisset *huic*, iam hoc ei sufficiebat; quare traxit syllabam *ce* ad sequens vocabulum *uni* (quod in satis corrupto illo codice, ex quo omnes, quos etiamnunc habemus, libri transscripti sunt, sine dubio parum distincte exaratum erat), ut scriperet *huic cuncti*.

Ibidem. *et quasi cognatione quadam inter se continentur*. Sic cap. 8, 18 *et quasi divino quodam spiritu inflari*. Quamvis multa homines docti de verbis *quasi quidam* disputaverint, et quamvis constet, Tullium et saepissime dixisse *quasi quidam*, et non raro *quidam quasi*, tamen quaedam restant, quae aliqua indigere videntur illustratione. Primum nonnunquam copulam praeponi, ut duobus locis huius oratiunculae, quamquam in hoc nihil est mirum, tamen magis debebat attendi; velut *d. Nat. D.* I, 3, 6 *philosophiam, quae lucem eriperet, et quasi noctem quandam rebus offunderet*. *d. Amic.* 13, 48 *qui virtutem duram, et quasi ferream esse quandam volunt*. *d. Off.* I, 27, 93 *in qua verecundia, et quasi quidam ornatus vitae cernitur*. *Acad.* I, 6, 24 *id iam corpus, et quasi qualitatem quandam nominabant*. *d. Fin.* I, 14, 47 *quia pacem animis afferat, et eos quasi concordia quadam placet ac leniat*. V, 23, 65 *coniunctio inter homines hominum et quasi quaedam societas et communicatio utilitatum*. *Tusc.* II, 26, 64 *amplitudinem animi, et quasi quandam exaggerationem quam altissimam animi*. *d. Rep.* II, 3, 6 *multis indiciis, et quasi fragore quodam et sonitu ipso ante denuntiat*. *d. Orat.* I, 59, 251 *sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt, et quasi quodam modo colligunt*. III, 14, 53 *qui illuminate et rebus et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiunt*. 25, 96 *Ornatur igitur oratio genere primum, et quasi colore quodam et succo suo*. *Brut.* 12, 45 *Pacis est comes, otique socia, et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia*. 50, 188 *Delectatur audiens multitudo, et ducitur oratione, et quasi voluptate quadam perfunditur*. *Orat.* 16, 53 *Elaborant alii lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi*. *ad Quint. Fr.* I, 1, 5, 15 *Multis enim simula-*

tionum involucris tegitur, et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura.

Contra semel tantum apud Ciceronem legitur *et quidam quasi* *Part. Orat.* 9, 31 *Quoniam narratio est rerum explicatio, et quaedam quasi sedes ac fundamentum constituendae fidei.* — Sed quod nullo loco invenitur *atque quasi quidam*, aut *ac quasi quidam*, hoc mirum videri debet nemini. Multi quidem sine dubio causam hanc esse existimabunt, quod omnino rarissime *ac* ante *qu* positum inveniatur, atque etiam *atque quasi quidam* propterea vitatum esse, quod auris male habuerit ter positum *qu*. Haec vero inania esse, ex eo iam sequitur, quod item nullo loco invenitur *ac tamquam*, aut *atque tamquam*, sed tantummodo *et tamquam*, quos locos infra afferam; tum, quod non modo *atque quasi quidam*, sed ne *atque quasi* quidem ullo loco invenitur, verum nihil aliud nisi *et quasi*. Quare rectius ac verius aget is, qui in ipsa significatione particulae *atque, ac* causam quaeret, cur neque inveniatur *atque quasi, ac quasi*, neque *atque tamquam, ac tamquam*. Etenim si tenebimus, copulam *et* ita fere differre ab *atque, ac*, ut per *et* duae res apponantur et adhaereant, per *atque, ac* aequiparentur et quasi sibi invicem inhaereant, non mirabimur, non inveniri *atque quasi, ac quasi*, sed tantum *et quasi*. Scilicet ubi dicimus *und gleichsam*, novum aliquid addimus, quod quidem neque necesse erat addi, et per se poterat omitti; sed quadam audacia, et quia rem, quam tractamus, illo addito magis illustrare nobis videmur, istud apponimus. Apparet igitur, cur non sit dictum *atque quasi, ac quasi*, aut *atque tamquam, ac tamquam*, et cur tantum inveniatur *et quasi*, et *et tamquam*. Loci autem, quibus legitur *et tamquam*, longe sunt pauciores, quam quibus dictum est *et quasi*. Plus centies enim apud Ciceronem legi *et quasi*, ut *d. Nat. D.* I, 7, 16 *ut ea inter se magnitudine, et quasi gradibus, non genere, differrent.* *d. Div.* I, 57, 130 *Nam si obscurior, et quasi caliginosa stella exstiterit.* *d. Senect.* 21, 77 *est enim animus coelestis ex altissimo domicilio depressus, et quasi demersus in terram*, et reliquis locis. — Contra fere vicies tantum *et tamquam*, velut *d. Nat. D.* II, 28, 72 *Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo.* 35, 90 *inesse aliquem non solum habitatorem in hac coelesti ac divina domo, sed etiam rectorem, et moderatorem, et tamquam architectum tanti operis tantique muneris.* *d. Off.* I, 5, 14 *Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides.* II, 15, 53 *deinde consuetudine beneficentiae paratiores erunt, et*

tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. III, 6, 32 *si et ipso sanguine, et tamquam spiritu carere coeperunt;* et reliquis locis. Nullo autem loco inveni *et tamquam quidam,* etsi raro legitur *tamquam quidam;* ut *d. Off.* III, 9, 39 *sed tamquam tormenta quaedam adhibemus. d. Orat.* III, 43, 170 *quod maxime tamquam stellis quibusdam notat et illuminat orationem. Orat.* 67, 224 *Deinde omnia, tamquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur. Top.* 4, 25 *His igitur locis, tamquam elementis quibusdam, significatio et demonstratio datur.* Sed haec hactenus; de discrimine autem vocabulorum *quasi* et *tamquam* alio loco agam.

Cap. II. §. 3. *cum res agitatur.* Hanc verissimam antiquissimi ac praestantissimi libri Ambrosiani lectionem pro *agatur*, quod in ceteris deterioribus legi dicitur codicibus, non dubitavi recipere, atque omnibus, opinor, persuadebo, non id temere me fecisse. Quamquam enim *agitare* proprie sic differt ab *agendo*, ut is dicatur aliquid *agitare*, qui saepe aliquid agit, tamen, cum eam rem, quam saepe agis, evincere velle videaris, hoc ipsum verbum *agitandi* non raro ita usurpatum invenitur, ut significare videatur nostrum *angelegentlich betreiben.* Sic *p. Cluent.* 1, 4 *negem esse illam rem agitatam in concionibus,* h. e. studiose actam. Sic *ad Att.* I, 19, 4 *Agraria lex a Flavio tribuno plebis vehementer agitabatur auctore Pompeio, quae nihil populare habebat praeter auctorem.* Studuit enim vehementer Flavius perferre illam legem. Vel aptissimum est igitur nostro loco hoc *agitandi* verbum, praesertim cum tali verbo graviori optime respondeant omnia illa *apud praetorem populi Romani, rectissimum virum, et apud severissimos iudices, tanto conventu hominum ac frequentia,* ex quibus apparet profecto, rem fuisse *agitatam,* non solum *actam.* Temere autem Maius pro *agitatur* scripsit *agitetur,* cum hoc loco indicativo aptius sit nihil. Etenim coniunctio *cum* hoc loco nequaquam est causalis, sed aperte temporalis; nos diceremus *in einem Falle, wo;* nec quisquam propter accusativum cum infinitivo desiderabit coniunctivum. Potuit quidem Tullius scribere *agitetur,* sed de industria noluit, propterea quod tum plerique coniunctionem *cum* causalem habuissent, sicut habitus esse videtur in vulgata lectione *cum — agatur.*

Ibidem. *apud praetorem populi Romani, rectissimum virum.* Satis mirari non queo, recentissimorum editorum neminem recepisse hanc scholiastae Ambrosiani lectionem verissimam, qua cognita altera *lectissimum* statim debebat oblivioni dari. Unus fortasse Schroeterus sensit, quam non conveniret

illud *vir lectissimus* cum tota huius loci sententia, id quod quis colligat ex eius verbis „Nec defendat quis: praetorem ibi virum lectissimum, iudices autem severissimos vocari.“ Etenim Tullius, cum sese vellet excusare apud auditores, quod uteretur genere dicendi, quod et a consuetudine iudiciorum, et a forensi sermone abhorreret, et quod apud talem praetorem talisque iudices hoc auderet, non sane debebat praetorem illum appellare *virum lectissimum*, *einen auserlesenen, vorzüglichen Mann*, sed potius, ut iudicum severitatem commemorabat, sic similis praetoris virtus erat afferenda. Quod autem aptius poterat eligere Tullius vocabulum, quam quod in codice scholiastae Ambrosiani legitur, ut appellaret eum *virum rectissimum*, h. e. virum, qui nec ipse decedit unquam de ea via, quam mores ac leges praescribunt, nec facile patitur, alios tale quicquam committere? Sic *ad Fam.* XII, 5, 2 *Erat firmissimus senatus, exceptis consularibus, ex quibus unus L. Caesar firmus est et rectus.* Sic omnes codices; nec haeserunt in his verbis interpretes. Cf. *Brut.* 75, 262 *Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos; nudi enim sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste detracta.* — Nec vero hic solum, sed etiam aliis locis restituendum erit Tullio pulcherrimum hocce vocabulum, quod omnibus fere locis, ubi scriptum erat, criticorum iniuria oblitteratum est. Sic *p. Deiot.* 6, 16. restituenda est omnium fere codicum lectio *quis rectior?* in verbis *quis consideratior illo? quis rectior? quis prudentior? Quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto.* Nam praeterquam quod duo codices habent *quis tectior?* et quod unus omittit haec duo vocabula, in ceteris omnibus legitur *quis rectior?* Ideo autem editores fere omnes post Naugerium neglexisse videntur hanc plurimorum codicum lectionem, quod existimarunt, illud *quis rectior?* repugnare verbis *Quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto.* Sed viri doctissimi non perceperunt vim vocabuli *rectus*; nec enim significat, quod nos dicimus *rechtschaffen*, atque tum quidem adversaretur verbis, quae sequuntur, quia virtus, h. e. *Rechtschaffenheit*, pertinet ad fidem et religionem vitae. At *rectitudo*, h. e. *Festigkeit*, *Consequenz*, referenda est ad ingenium et prudentiam. Quod vero attinet ad istam duorum codicum lectionem *tectior*, contendo, non eam esse Latinam. Nam eorum locorum, qui afferri solent ad alteram significationem vocabuli

tectus, quae esse dicitur *cautus*, *vorsichtig*, confirmandam, nullus habet idoneam librorum auctoritatem. Sic hoc ipso loco *p. Deiot.* 6, 16 plerique codices habent *quis rectior? d. Orat.* II, 73, 296 unus codex habet lectionem *tectissimum*, quam temere omnes fere receperunt editores; editiones veteres habent *lectissimum*; de codicum reliquorum scriptura nihil videtur constare, quamquam mihi persuasi, Gruterum, qui scripsit *rectissimum*, ex codicibus hoc recepisse. Et profecto verissima est haec Gruteri lectio. Haec enim ibi leguntur *Tum Iulius*, *Ego mehercule*, *inquit*, *Antoni*, *semper is fui*, *qui de te*, *oratore*, *sic praedicarem*, *unum te in dicendo mihi videri rectissimum*, *propriumque hoc esse laudis tuae*, *nihil a te unquam esse dictum*, *quod obesset ei*, *pro quo diceres*. Nego aptius hoc loco posse inveniri vocabulum; nam *rectissimus* in dicendo is est, qui semper rectam in dicendo eligit viam, nec unquam quicquam dicit, quod obsit ei, pro quo dicit. Neque minus isto loco inepta est lectio *lectissimum*, quam est in hac oratione *p. Archia*. Denique *Philipp.* XIII, 3, 6 codex Vaticanus a manu prima habere dicitur *tectior*; quaedam editiones habent *protectior*; in uno autem codice verissima est scriptura *rectior*. Haec enim hoc loco sunt verba *Cautioribus utitur consiliis*, *in posterum providet*, *est omni ratione rectior*. Quo nihil est aptius. Nos diceremus *in jeder Hinsicht wählt er die richtigeren Mittel*. Etiamsi vero posset significare *tectus vorsichtig*, quod tamen nullo loco significat, tamen contenderem, pravam hanc hoc loco esse lectionem, quippe cum idem fere tum his verbis *est omni ratione tectior* dictum esset, atque dixerat Tullius illis *cautioribus utitur consiliis*, *in posterum providet*. — Nemo non videt, opinor, meo iure et restituisse me his locis vocabulum illud *rectus*, quod librariorum atque criticorum iniuria fere exstinctum erat, et exstirpasse alteram illam significationem vocabuli *tectus*, quae est *cautus*. Nam *tectus* nihil aliud significat, nisi *verschwiegen*, *geheimnissvoll*, ut *p. Rosc. Am.* 40, 116 *Tecti esse ad alios possumus*. *d. Fin.* II, 17, 54 *qui occultus et tectus dicitur*. *Orat.* 42, 146 *Ac fortasse ceteri tectiores*.

Ibidem. *quod non modo a consuetudine iudiciorum*, *verum etiam a forensi sermone abhorreat*. Hoc loco, quamvis arripuisse dicar hanc occasionem, docendi erunt homines docti, apud unum fere tantum Ciceronem hoc *verum* legi in dictionibus *non modo* (*non solum*) — *verum etiam*. Certe nec apud scriptorem rhetoricorum *ad Herennium*, nec apud Caesarem, nec apud Cornelium Nepotem, neque apud Livium,

neque apud Tacitum ullo loco istud *verum* in istis dictionibus inveni, sed hi scriptores tum sola utuntur particula *sed*. Praeter Ciceronis autem locos plurimos paucissima mihi annotavi exempla, unum ex epistola Quinti Fr. *ad Marcum* apud Cic. *ad Fam.* XVI, 16, 2 *Amo te omnibus equidem maximis de causis, verum etiam propter hanc, vel quod mihi sic, ut debuisti, nuntiasti;* h. e. *aber auch*. Tum praeterea in epistola Planci *ad Ciceronem* apud Cic. *ad Fam.* X, 17, 2 *Sed ego eum non solum hortatus sum, verum etiam coegi isto proficisci.* Denique bis apud Sallustium *B. I.* 89 *in. muniti advorsum hostis non moenibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. in Cic.* 3, 6 *Atque parum est, quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras, neque licet oblivisci his servitutis tuae.* Apud Ciceronem vero, ut iam supra dixi, saepissime legitur hoc *verum etiam;* sed, ut fit, alio tempore saepius illud usurpavit, alio fere abstinuit. Sic in nostra oratiuncula septies invenitur *non modo* (*non solum*) — *verum etiam* §. 3, 4, 5, 6, 14, 21, 31, bis tantum *non modo* (*non solum*) — *sed etiam* §. 11, 22. Contra *p. Balb.* sexies quidem legitur *non modo* (*non solum*) — *sed etiam* §. 4, 8, 13, 26, 27, 28, sed ne semel quidem *verum etiam*. *p. L. Man.* duodecies *non modo* (*non solum*) — *sed etiam* §. 12, 14, 15, 16, 27, 28, 47, 48, 55, 56, 61, 67, nullo loco *verum etiam*. *p. Planc.* decies *non modo* (*non solum*) — *sed etiam* §. 3, 6, 19, 63, 78, 79, 80, 81, 91, 104, semel *non solum* — *verum etiam* §. 23. *p. Sest.* quinquies decies *non modo* (*non solum*) — *sed etiam* §. 1, 14, 25 bis, 33, 49, 67, 73, 79, 85, 100, 107, 120, 123, 142, semel tantum *verum etiam* §. 9. in *Brut.* semel et vicies *non modo* (*non solum*) — *sed etiam* §. 26, 34, 52, 68, 84, 88, 93, 113, 116, 126, 132, 151, 153, 159, 171, 226, 246, 254, 255, 289, 325, bis tantum *verum etiam* §. 247, 319. Atque haec quidem ratio est in unoquoque fere Tulli opere, ut non raro quidem usurpaverit *non modo* (*non solum*) — *verum etiam*, verumtamen saepius multo *non modo* (*non solum*) — *sed etiam*. Et profecto, quod est exquisitius, quodque antiquam sapit dicendi consuetudinem, id non fere debet saepius usurpari, quam id, quod est simplicius et usitatius. Quod autem in nostra Cicero oratiuncula multo saepius dixit *non modo* (*non solum*) — *verum etiam*, id casu potius quam consilio factum est, nisi forte quis contendat, Tullium in peroranda hacce levissima causa exquisitissima quaeque verba sectatum esse, cum ipsa materies ad causam

bene agendam eum fere defecerit. — At quamvis saepe Cicero usus sit *non modo* (*non solum*) — *verum etiam*, rarissime (bis scilicet) apud eum invenitur *non modo non* — *verum ne — quidem*, *p. Rosc. Am.* 19, 54 *quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem.* *ad Att.* I, 11, 1 *Sed, cum omnia fecissem, non modo eam voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne causam quidem elicere immutatae voluntatis.* Sic semel *non modo — verum ne — quidem d. Rep.* III, 30, 42 *Multas tu quidem, inquit, Laeli, saepe causas ita defendisti, ut ego non modo tecum Servium Galbam, collegam nonostrum, quem tu, quoad vixit, omnibus anteponebas, verum ne Atticorum quidem oratorum quemquam aut sua * * *.*

Ibidem. *liberius.* In simili re Tullius *p. Mur.* 29, 61 dixit *audacius*, his verbis *Et quoniam non est nobis haec oratio habenda aut in imperita multitudine, aut in aliquo conventu agrestium, audacius paullo de studiis humanitatis, quae et mihi et vobis nota et iucunda sunt, disputabo.* At Schroeterus vehementer offensus est in hoc vocabulo *liberius.* Negavit enim, dici *libere loqui* apud Tullium eum, qui loqueretur, ut nos dicimus, *frei, ungebunden, ausführlich*, sed tantummodo eum, qui loqueretur sine metu offensae aut periculi, h. e. *frei, freimüthig.* Sed iam per se nulla poterit cogitari causa, cur *libere*, quod aliis certe locis significat *frei, ungebunden,* non potuerit habere hanc significationem, si cum verbo *loquendi* coniunctum sit. Accedit vero, ut non raro apud Tullium hoc vocabulum eodem modo dictum sit, ut *d. Leg.* I, 13, 36 *Verum philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae, quae fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur.* *d. Orat.* I, 53, 229 *non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat.* *d. Fin.* I, 7, 23 *Quod quamquam Aristippi est, a Cyrenaicisque melius liberiusque defenditur, tamen eiusmodi esse iudico, ut nihil homine videatur indignius.* Quo loco Orellius Victori lectionem (an potius coniecturam?) *uberius* pro *liberius* immerito commendavit. Apparet enim, librarium, vel Victorium ideo pro *liberius* scripsisse *uberius*, quod non intellexerat, qua esset notione illud *liberius* hoc loco usurpatum. Significat autem *freier, ausführlicher.* Cf. *d. Orat.* II, 16, 67 *Sed si illam quoque partem quaestionum oratori volumus adiungere vagam, et liberam, et late patentem, ut de rebus bonis aut malis,*

expetendis aut fugiendis, honestis aut turpibus, utilibus aut inutilibus dicendum oratori putemus, assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus. Brut. 31, 120 *Nam, ut Stoicorum astrictior est oratio, aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt, sic illorum liberior et latior, quam patitur consuetudo iudiciorum et fori.*

Ibidem. §. 4. *Quod si a vobis tribui concedique sentiam.* Omisi cum optimo codice Erfurtensi molestissimum dativum *mihi*, quem ipsum Ciceronem omisisse praeclare ostendit prava pronominis istius in vulgata lectione collocatio; nam hercle, si voluisset addere Cicero dativum istum, scripsisset hoc modo *Quod si a vobis mihi tribui concedique sentiam.* Nam maxima vis erat ponenda in verbis *a vobis*, non in dativo *mihi*; quare suo iure Cicero omisit istud pronomen. Saepenumero autem omitti pronomina in re aperta, quis ignoret? Conferri possunt interpretes ad Cic. *in Cat.* II, 2, 3 atque Goerenzius ad Cic. *Acad.* II, 41, 128, alii aliis locis. Cf. *ad Att.* XI, 10, 2 *sed ut tibi me carum esse sentiant.*

Ibidem. *putetis asciscendum.* Quis non miretur, hoc loco editorem fere neminem exstitisse, qui cum optimo codice Barberino secundo (qui quidem non raro habet singularia) deleverit istud molestissimum, ne dicam ineptum, *fuisse?* Quod primum ad codices attinet, plerique habere videntur *asciscendum fuisse*, sed iam propterea quod alii habent *fuisse asciscendum*, quodque in codice Barberino ab altera manu scriptum est *asciscendum esse*, nemo non debet verissimam existimare eam lectionem, quam habet ille codex a prima manu, quae quidem omisit plane istud *fuisse.* Atque cum accedat, quod ne sententia quidem huius loci tale fert tempus, id quod bene perspexit Schroeterus, eo magis etiam commendatur haec istius temporis omissio. Videlicet ineptus fuisset Cicero, si hoc perficere studuisset, ut iudices, etiamsi Archias tum non esset civis, olim tamen asciscendum fuisse putarent. Minime enim Tullio id erat agendum, ut haec opponeret: „Archias etiamsi nunc non esset civis, tamen olim fuisset asciscendus;“ non enim hoc ex re dictum esset. Potius sic debebat dicere: „Archias si nondum esset civis, nunc certe esset asciscendus.“ Et, ut omnia moliar ad suspectam faciendam istam lectionem *fuisse*, durissimum fuisset, si Tullius in participio *segregandum*, in quo utique intelligendum est *esse*, ex tempore praeterito *fuisse* illud praesens tempus voluisset intelligi; praesertim cum, si legeretur

fuisse, vel maxime illa tempora sibi opponerentur. Rectissimo iudicio igitur probavit iam Garatonius, nec improbavit Orellius hanc codicis Barberini lectionem, nec quisquam, opinor, posthac de eius veritate dubitabit.

Cap. III. ead. §. *Nam ut primum ex pueris excessit Archias.* Cf. Terent. *Andr.* I, 1, 24 *Nam is postquam excessit ex ephebis.* Quis non intelligat, Terenti huncce versum animo Tulli obversatum esse? Ecfert vero etiam laudibus locum istum Terentianum Tullius *d. Orat.* II, 80, 327, ut ostendat, non semper longam aliquam narrationem esse etiam languidam, ac saepe vel maxime obesse brevitatem in narrando, his verbis *Vel illa* (haec probabilis admodum coniectura Klotzi) „*Nam is postquam excessit ex ephebis*" *quam longa est narratio! mores adolescentis ipsius, et servilis percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma, et lamentatio sororis, reliqua pervarie iucundeque narrantur.* Quod autem haec dictio *ex pueris excedere*, quae Graeca potius quam Latina est, alio nullo loco neque apud Tullium, neque apud alium quemquam scriptorem legitur, id magis etiam confirmare videtur, quod dixi, Ciceronem videri imitatum esse Terentianum illud *Nam is postquam excessit ex ephebis.* Et sane, ut Terentius illo loco pervarie iucundeque narravit, sic Cicero admodum concinne hunc locum constituit. — Neque tamen possum, quin attingam gravissimum Moebi errorem, qui quidem opinatus est, hoc loco exspectandum fuisse potius singularem *ex puero excedere*, quam *ex pueris excedere*, quippe cum Latini, si de uno sermo esset, praeferrent singularem. Non enim reputavit, dictiones illas *ex pueris, ex ephebis*, sicut apud Graecos ἐκ παίδων, ἐξ ἐφήβων, nihil aliud significare, nisi *ex puerorum, ex epheborum numero*; nec facile ullo loco inveniri ἐκ παιδὸς ἐξέρχεσθαι.

Ibidem. *informari.* Miror, quod ne Schroeterus quidem in hoc vocabulo *informari* offensus est, cum alias tales calumniatores in eos locos vel maxime soleant invehi, qui modo aliquid habeant exquisitum. Namque hic omnino unicus esse videtur locus in litteris Latinis, quo dictum est *aliquis ad humanitatem informatur.* Quale quantumque pro sua re argumentum Schroeterus invenisse sibi visus esset, si illud scisset! Sed vel aptissime Cicero hoc loco usurpavit verbum *informandi*, quo non facile aptius inveniri posse contendo. *Informare* enim proprie id significat, quod nos dicimus *entwerfen*, ac si rem *informamus*, primam quasi formam damus rei, quae nullam adhuc habuerat. Quare ita fere differunt *informare* et *conformare*, ut is rem *conformet*,

qui illi meliorem etiam formam dat, quam qui prius eam *informaverat.* Pueri igitur *informantur* ad humanitatem, cum aetate provectiores ad eandem possint et conformari et se ipsi conformare; ut apud scriptorem *ad Heren.* IV, 22, 31 *Alexander Macedo summo labore animum ad virtutem a pueritia conformavit.* Simillimi loci sunt *d. Orat.* III, 15, 58 *atque in is artibus, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumpserunt.* Nam *fingere* et *informare* non fere differunt. Atque ut nostro illo loco omnino semel tantum ita plane usurpatum est *informare*, sic hoc loco ἅπαξ λεγόμενον est *puerorum mentes ad humanitatem finguntur*, quamquam simili modo dictum est *Brut.* 38, 142 *Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit; talisque oratores videri facit, qualis ipsi se videri volunt.* Tum *d. Fin.* III, 2, 9 *Addo etiam illud, multa iam mihi dare signa puerum et pudoris et ingeni; sed aetatem vides. Video equidem, inquam; sed tamen iam infici debet is artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet paratior. Inficere* idem fere significat, quod *informare* et *fingere.* Modo audacius dictum est. Nos diceremus *er muss durch die Wissenschaften einige Färbung bekommen.* Sic *d. Leg.* I, 17, 47 *qui teneros et rudis cum acceperunt, inficiunt et flectunt, ut volunt.* Cf. denique Cornel. Nep. XXV, 1, 2 *hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudivit.*

Ibidem. (*nam ibi natus est loco nobili*). Tandem intellexerunt novissimi editores, haec tantum verba pro parenthesi habenda, nec cogitandum esse de ea interpunctione, quam plerique fecerunt editores (*nam ibi natus est, loco nobili, celebri quondam urbe et copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti*). Quid? quod multi homines doctissimi opinati sunt, ut verba *celebri quondam urbe et copiosa*, sic haec *loco nobili* pertinere ad genitivum istum *Antiochiae?* Quo nihil profecto est ineptius. Scilicet illa *nam ibi natus est loco nobili* ita intelligenda sunt, ibi natum esse Archiam nobilibus parentibus, sicut toties vocabulum *locus* de hominis origine et genere usurpatum est. Ita prorsus *d. Div.* I, 40, 89 *Quo in genere Marcios quosdam fratres, nobili loco natos, apud maiores nostros fuisse scriptum videmus.* Similiter autem plurimis aliis locis. Neque vero semper a Tullio illud *natus* additum esse, ex his intelligitur locis *p. Mur.* 35, 73 *Non igitur, si L. Natta,*

summo loco adolescens, in equitum centuriis voluit esse et ad hoc officium necessitudinis, et ad reliquum tempus gratiosus, id erit eius vitrico fraudi aut crimini. in *Verr. A.* II, *l.* I, 48, 127 *An vero dubitamus, quo iure iste ceteros homines inferiore loco, auctoritate, ordine solitus sit appellare?* Cf. eos quoque locos, quibus pro adiectivis pronomina reperiuntur; ut *p. Rosc. Am.* 51, 149 *Quod si omnes, qui eodem loco nati sunt, facerent, et respublica ex illis, et ipsi ex invidia minus laborarent. p. Quint.* 8, 31 *ita in utroque excellunt, ut nemo nostro loco natus assequi possit.* in *Verr. A.* II, *l.* III, 25, 62 *Servi autem eius, qui et moribus isdem essent, quibus dominus, et eodem genere ac loco nati, praeter oculos Lolli haec omnia ferebant. A.* II, *l.* IV, 42, 91 *quod mihi nunquam verisimile visum est, adolescentem illo loco natum, patronum Siciliae, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. Philipp.* II, 26, 65 *cum sector sis isto loco natus.* — Lectio, vel potius coniectura Cratandri *et celebri* pro *celebri* vix digna est, quae memoretur, cum sit temere facta propter non intellecta illa *natus loco nobili.*

Ibidem. *celebri quondam urbe.* h. e. urbe peregrinorum frequentia olim celebrata. Apud optimos autem scriptores nullo loco *celeber* ea significatione usurpatum esse, quam rudes Latini sermonis huic vocabulo solent tribuere, i. e. *berühmt,* hoc apud doctos satis videtur constare. Namque ut *celebrare* vel de eo dicitur, qui saepe aut cum magno comitatu adit locum, vel qui saepe aliquid facit, vel qui saepe et multis verbis de re loquitur, sic *celeber* vel, idque saepissime, de loco usurpatur, qui saepe aut hominum frequentia aditur, vel, sed rarissime, de re, quae saepe fit, vel denique de re, quae saepe auditur. Rectissime igitur dicitur *urbs celebris,* h. e. *eine besuchte Stadt,* ut hoc loco multisque aliis apud Ciceronem. Apud poëtas inprimis et posteriores scriptores, rarissime apud Ciceronem invenitur *sermo celeber* h. e. sermo, qui saepe fit, *eine häufige Rede.* Non ita saepe invenitur *res celebris,* h. e. res, de qua saepe et multum loquuntur homines, *eine sehr besprochene Sache.* Sic etiam *nomen celebre,* h. e. nomen, quod saepe auditur; sed cum *nomen* quidem hominis saepe possit audiri, non tamen *homo* ipse, propterea optimi scriptores nullo loco dixisse videntur *homo celeber,* quod, sicut *urbs celebris,* nihil aliud significasset, nisi *ein besuchter Mann.* — Cf. primum hos omnium plurimos locos Tullianos, ubi de loco usurpatum est *celeber;* ut *d. Div.* I, 19, 37 *Nunquam illud oraculum Delphis tam celebre et tam clarum fuisset.* in *Verr. A.* II, *l.*

I, 49, 129 *in aede Castoris, celeberrimo clarissimoque monumento, quod templum in oculis quotidianoque aspectu populi Romani est positum, quo saepenumero senatus convocatur, quo maximarum rerum frequentissimae quotidie advocationes fiunt: in eo loco, in sermone hominum audaciae suae monumentum aeternum relinquere.* Ex toto loco apparet, *monumentum celeberrimum* nihil aliud significare, nisi *ein sehr besuchtes Denkmal.* Sic etiam *A.* II, *l.* II, 65, 159 *statuam eius, quae erat apud ipsos in celeberrimo urbis loco, ne tum quidem in ipsis urbis periculis attigerunt.* 66, 160 *At quo loco? Celeberrimo ac religiosissimo. A.* II, *l.* III, 58, 133 *cum vero in foro celeberrimo, tanta frequentia, hoc tibi obiectum esset. A.* II, *l.* IV, 48, 107 *ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt, celeberrimo virorum mulierumque conventu. A.* II, *l.* V, 18 46 *nunquam invidiosum fore putasti, celeberrimo loco palam tibi aedificari onerariam navem in ea provincia, quam tu cum imperio obtinebas.* 72, 186 *celeberrimo in loco populi Romani locati Castor et Pollux. p. L. Man.* 12, 33 *portum Caietae celeberrimum, atque plenissimum navium. p. Planc.* 9, 22 *Tractus ille celeberrimus Venafranus. p. Sest.* 67, 140 *cuius monumentum celeberrimum in foro, sepulchrum desertissimum in littore Dyrrhachino relictum est.* Quo loco opponuntur *celeberrimum* et *desertissimum*, nec cogitandum cum lexicographis de significatione *berühmt.* Sic *Part. Orat.* 10, 36 *loci celebres an deserti. in Pison.* 15, 34 *de mea salute P. Lentuli, Cn. Pompeii, ceterorumque principum civitatis celeberrimae et gratissimae conciones fuerunt.* 38, 93 *statuam, quam stare celeberrimo in loco voluerat. p. Mil.* 24, 66 *Oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi et fortissimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. Nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat. p. Rab. Post.* 10, 26 *Neapoli, in celeberrimo oppido. ad Att.* XII, 23, 3 *Si nihil conficeretur de Transtiberinis, habet in Ostiensi Catta, celeberrimo loco, sed pusillum loci.* — Tum paucissimi apud Ciceronem sunt loci, quibus *res celebris* de re dictum est, quae saepe et a multis fit; ut *Philipp.* XIV, 6, 16 *ut idem dies non modo me iniquissima invidia liberarit, sed etiam celeberrima populi Romani gratulatione auxerit;* h. e. saepe facta; quamquam fuerunt, qui etiam *Philipp.* XIV, 5, 14 unius codicis lectionem *celeberrimum* praeferrent optimorum plurimorumque codicum lectioni *creberrimum*, his in verbis *Scitis enim, per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me pridie Vinalia, qui dies hodie est, cum fascibus descensu-*

rum. — Item rarissimi ei sunt loci apud Tullium, quibus *res celebris* ea est, de qua saepe homines loquentis audimus; ut *in Verr. A.* II, *l.* III, 25, 61 *Clara res est, quam dicturus sum, tota Sicilia celeberrima atque notissima*, h. e. *eine viel besprochene Sache.* Sic apud Tullium non invenitur *nomen celebre*, ut toties apud Livium. — Nec multi apud Tullium inveniuntur loci, quibus *dies celebris* ea est, quae hominum frequentia fit solennis, *feierlich*; ut *d. Amic.* 3, 12 *Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, cum domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis.* Apparet vero, pro verbis *illum diem clarissimum* nequaquam potuisse dici *illum diem celeberrimum.* Tum *in Verr. A.* II, *l.* IV, 67, 151 *cum diem festum ludorum de fastis satis sustulissent celeberrimum et sanctissimum.* — Quamvis vero saepe hoc vocabulum *celeber* inveniatur apud Ciceronem, nec unquam significat *berühmt*, nec ullo loco legitur *homo celeber.* — Sequitur, ut de aliorum quoque scriptorum usu huius vocabuli loquamur, qui non plane idem est ac Tullianus. In commentariis autem Caesaris non inveniri ullo loco illud *celeber*, nemo mirabitur, cum vix fuerit huic scriptori occasio talis vocabuli usurpandi, nec quisquam inde concludet, consulto Caesarem hoc vocabulo se abstinuisse. Uno loco apud Cornelium Nepotem legitur X, 10, 3 *Itaque in urbe, celeberrimo loco, elatus publice, sepulchri monumento donatus est*; h. e. *an dem besuchtesten Orte*, non, ut Bremius vertit, *an dem volkreichsten Orte*; nunquam enim apud optimos scriptores *celeber* idem significat, quod *copiosus.* Ne apud Sallustium quidem inveni hoc vocabulum. Contra non raro legitur apud Livium; ut XXXIV, 61 *ext. Aristo, Punico ingenio inter Poenos usus, tabellas conscriptas celeberrimo loco supra sedem quotidianam magistratuum prima vespere suspendit*; h. e. *an dem besuchtesten Orte.* Sic XLV, 30 *m. Secunda pars celeberrimas urbes, Thessalonicen et Cassandream, habet.* Similiter IV, 35 *m. Annum insequentem, neque bello foris, neque domi seditione insignem, ludi bello voti celebrem et tribunorum militum apparatu, et finitimorum concursu fecere*; h. e. *solenn.* XXIV, 4 *ext. funus fit regium, magis amore civium et caritate, quam cura suorum, celebre*; h. e. *ein zahlreiches, solennes Leichengepränge.* Sic XXV, 12 *ext. Populus coronatus spectavit; matronae supplicavere; vulgo apertis ianuis in propatulo epulati sunt, celeberque dies omni caeremoniarum genere fuit.* XXXIV, 41 *in. Laeta civi-*

tas celeberrimum festorum dierum ac nobile ludicrum Nemeorum, die stata propter belli mala praetermissum, in adventum Romani exercitus ducisque indixerunt. XXXIX, 7 *m. triumphum esse militari magis favore, quam populari, celebrem.* — Omnium vero saepissime in dictione *nomen celebre;* uti I, 3 *ext. Tiberinus, in traiectu Albulae amnis submersus, celebre ad posteros nomen flumini dedit;* h. e. *nomen, quod apud posteros usitatum factum est.* IV, 53 *ext. quibus versibus consul increpitus, Maenii celebre nomen laudibus fuit;* h. e. *Maenii nomen saepe cum laudibus auditum est.* Sic 54 *ext. Irritatis utriusque partis animis, cum et spiritus plebes sumpsisset, et tres ad popularem caussam celeberrimi nominis haberet duces.* VI, 9 *m. cum Romani auxilii adventus, tum Camilli nomen celeberrimum apud hostes sociosque, et in praesentia rem inclinatam sustinuit, et spatium ad opem ferendam dedit.* VII, 38 *in. cum incondito militari ioco haut minus tribuni celebre nomen, quam consulum, esset* XXI, 39 *ext. Nam Hannibalis et apud Romanos, iam ante Sagunti excidium, celeberrimum nomen erat.* XXVII, 40 *m. Nunc duo bella in Italiam accepta, duo celeberrimi nominis duces circumstare urbem Romanam.* XXXIX, 56 *ext. praeter T. Quintium Flamininum, cuius in ea re celebre est nomen.* XLIII, 21 *m. Penestarum obsides Apolloniam, Parthinorum, Dyrrhachium (tum Epidamni magis celebre nomen Graecis erat) missi;* h. e. *tum Epidamni nomen saepius apud Graecos audiebatur.* Atque cum nomen, de quo homines saepe loquentis audimus, plerumque clari alicuius sit viri, illud *nomen celebre* poterit saepe verti *ein gefeierter Name.* — Simili modo dictum est vocabulum *celeber* his locis XXI, 19 *ext. Ad Volcianos inde est ventum, quorum celebre per Hispaniam responsum ceteros populos ab societate Romana avertit;* h. e. *responsum, quod tota Hispania auditum erat.* Sic XXVII, 33 *in. famamque inter barbaros celebrem esse, Philippum occisum.* — Sed iam apud Livium duo quidem reperiuntur loci, quibus *celeber* homo dictus est, de quo multum loquuntur homines; VII, 21 *m. Meriti aequitate curaque sunt, ut per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent.* Sed quivis intelligit, hunc locum ita intelligendum esse, quasi scripsisset Livius *ut per omnium annalium monumenta nomina eorum celebria essent.* Nam quod proprie in nomina virorum cadebat, id audacius Livius in homines ipsos transtulit. Memorabilior est etiam hic locus XXVI, 27 *ext. Hac circumfusus multitudine, simul Siculis obviam egressis*

Aetolisque, Romam praeivit, clarissimarum urbium excidio celeberrimis viris victos accusatores in urbem adducens. h. e. *celeberrimi nominis viri, Männer des gefeiertsten Namens, die gefeiertsten Männer.* Satis tamen mirari non potui, hos duos locos, quibus quidem non facile invenies pluris apud scriptores aureae aetatis, ne a novissimis quidem lexicographis dignos habitos esse, qui annotarentur. Namque his duobus locis et eorum opinio refutatur, qui neminem aureae aetatis scriptorem dixisse contendunt *virum celebrem*, et vero etiam ex his paucissimis locis perspicitur, rectissime eos statuere, qui recentioribus omnino abstinendum esse dicunt *viro celebri*; ex quo numero me ipsum quoque esse profiteor. — Reliquum est, ut Taciteum quoque usum illustremus. Usitata autem dicendi ratione, scilicet de loco, his usurpatum est locis *Ann.* I, 51 *in. profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum quod Tanfanae vocabant, solo aequantur;* h. e. *templum, quod ab illis gentibus saepissime adiri solebat.* Sic IV, 67 *ext. qui monerent, perfugere ad Germaniae exercitus, vel celeberrimo fori effigiem D. Augusti amplecti. Hist.* II, 50 *ext. Die, quo Bedriaci certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri loco consedisse, incolae memorant.* III, 70 *in. stratam innocentium caedibus celeberrimam urbis partem.* — Interdum apud Tacitum *celeber* idem fere est quod *copiosus*, *volkreich;* ut *Ann.* II, 47 *in. Eodem anno duodecim celebres Asiae urbes collapsae nocturno motu terrae.* XV, 22 *ext. Et motu terrae celebre Campaniae oppidum, Pompeii, magna ex parte proruit.* De re, quae saepe fit, de re usitata usurpatum esse videtur vocabulum *Ann.* I, 74 *in. qui formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum et audaciae hominum fecerunt.* Nonnunquam etiam de re, de qua saepe homines vel in malam, vel in bonam partem loquuntur, dictum invenitur; ut *Ann.* II, 28 *ext. celebre inter accusatores Trionis ingenium erat, avidumque famae malae,* h. e. *famosum.* Contra III, 49 *in. Fine anni C. Lutorium Priscum, equitem Romanum, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare corripuit delator.* XII, 61 *in. mox adventu Aesculapii artem medendi illatam, maximeque inter posteros eius celebrem fuisse;* h. e. *notam. Dial.* 2 *in. Venerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri.* Atque *Hist.* IV, 84 *m. Haec de origine et adventu dei celeberrima.* — Denique duos apud Tacitum inveni locos, quos non minus neglexerunt lexicographi, quibus de

ipso homine dictum est; ut *Ann.* II, 88 *ext.* *Arminius Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur; Romanis haut perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi;* h. e. *notus.* Sic *Hist.* III, 51 *in.* *Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus adversus fas nefasque irreverentiam fuisse, ut gregarius eques, occisum a se proxima acie fratrem professus, praemium a ducibus petierit.*

Ibidem. *affluenti.* Sic ad unum omnes codices verissime. Nihilominus Matthiaeus pro *affluenti* scripsit *affluente,* nec operae habuit pretium, rationes, cur id fecerit, commemorare. Propterea, credo, quod nullas habuit, nisi inanis. An ideo, quod casu hic huius vocabuli ablativus *affluenti* non alio loco apud Tullium legitur? Pluribusne tandem locis verbi causa ablativus *gaudenti* invenitur, quam *ad Att.* II, 4, 2 *Interea quidem cum Musis nos delectabimus animo aequo, immo vero etiam gaudenti ac libenti?* Vellem vero, esset mendum typographi istud *affluente*, ac non error hominis doctissimi.

Ibidem. *celeriter antecellere omnibus ingeni gloria coepit.* Schroeterum non eum fuisse, qui posset conari Tullio hanc orationem abiudicare, vel maxime ex hoc loco poterit intelligi. Nam profecto, qui id agit, magis etiam, quam ceteri, ea praeditus esse debet Tulliani sermonis cognitione, ut sciat, quid sit Tullianum, quid non sit. Verum enimvero, ut Schroeterus, sic ceteri omnes fere editores ignorarunt, non modo Tullianum, sed vix Latinum esse *contigit Archiae antecellere,* cum optimi scriptores nunquam cum verbo *contingendi* coniunxerint *infinitivum,* sed tantummodo coniunctionem *ut.* Potuisset igitur aliqua veritatis specie in hoc cavillari Schroeterus, si modo suppetisset eius doctrina; is tamen satius habuit, offendi in rebus pulcherrimis ac vere Tullianis. Ex omnibus vero editoribus unus Lambinus, quae eius erat Tullianae grammaticae cognitio, perspexerat, utique ferri non posse istam huius loci constructionem. Quare pro infinitivo *antecellere* coniecerat *ei ut antecelleret,* sicut sane Tullius ceteris locis omnibus locutus est. At si Lambini emendandi ars eadem fuisset atque doctrina, non ille fecisset hanc coniecturam tam improbabilem. Propius sine dubio latet corruptela, atque quo suspectior fiat vocabulum *contigit,* multa alia accedunt, in quibus non poteris non haerere. Primum dico omissionem dativi *ei,* quem idem ille Lambinus in orationem receperat; itaque nuper fecerunt Ernestius et Schuetzius. Quae omissio dativi quamquam excusari potest similibus locis Tullianis non paucis, sicut excusarunt ad

hunc locum multi interpretes, tamen magis profecto suspectum efficit vocabulum *contigit.* Iam vero nescio quid inest ineptum in vulgata ista lectione, propterea quod post tale initium *primum Antiochiae* simpliciter pergere debebat Cicero *omnibus antecelluit* aut *antecellere coepit.* Nam quis unquam ita locutus est *contigit illi, ut antecelleret omnibus ingeni gloria; ihm wurde das Glück zu Theil, dass er sich vor allen andern durch Talent auszeichnete!* Quasi vero quis dicat, *contigit illi, ut omnium optimus esset!* Scilicet de tali re non potest usurpari *contingendi* verbum. His omnibus autem bene perpensis equidem mihi persuasi, nonnullorum hominum doctorum coniecturam *coepit* pro *contigit*, quam Schroeterus commemoravit, Orellius immerito neglexit, recipiendam esse. Quamquam illorum doctorum causa non fuit mea, nam illi tantummodo ob omissum dativum ita coniecerunt, falsi igitur in eo, quod ob solam hanc omissionem, non inusitatam, coniectura opus esse existimarunt. Satis probabilis autem ratio poterit excogitari, quemadmodum *coepit* corruptum sit in *contigit.* Cum enim syllabae *con* hoc fuerit compendium, ut scriberetur *co* cum lineola supra posita, cumque facillime, praesertim in libro male scripto, voluta quaedam librari, addita litterae *o*, potuerit haberi pro ista lineola, primum illud *co* legebatur *con*, et tum ex *epit* admodum facile fieri potuit *tigit.* Eo facilius autem monachus ex parum distincte scripto *coepit* facere potuit *contigit*, quod in Latinitate mediae aetatis, sicut nostro etiam tempore, usitatissimum fuit, verbum *contingendi* cum infinitivo coniungere. Itaque vel sic illa lectio potuit oriri. Coniectura autem *coepit* nihil est aptius; atque etiam collocatio eius in fine enuntiationis, ut illud *coepit* uno pluribusve vocabulis ab infinitivo suo *antecellere* diiunctum sit, vel maxime est Tulliana. Cf. enim *d. Orat.* II, 49, 200 *tum admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis coepi.* *d. Leg.* II, 25, 64 *Postea, cum, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt.* *in Verr. A.* II, *l.* III, 27, 67 *poscere pecuniam grandem coepit, ut, accepto lucro, discederet.* *A.* II, *l.* IV, 34, 75 *quasi illa ipsa face percussus esset, ita flagrare cupiditate atque amentia coepit.* *A.* II, *l.* V, 54, 142 *denique proximus lictor (de quo iam saepe dixi) Sextius, converso baculo, oculos misero tundere vehementissime coepit.* *in Cat.* II, 2, 4 *quem amare in praetexta calumnia coeperat.* *ad Fam.* II, 3, 1 *si quando displicere tibi tuum consilium coeperit.* Quam-

quam in hac ipsa collocatione verbi *coepit* ei, qui minus versati erant in lectione Tulliana, poterant haerere, ut haeserunt multi *in Verr. A.* II, *l.* II, 6, 17 *Qui simul atque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romae, et ad urbem, antequam proficisceretur, quaerere ipse secum, et agitare cum suis coepit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset.* Ita optimi ac plerique codices rectississime; sed in aliquot libris aperta librariorum legitur correctio *et cum suis agitare coepit,* quam non debebant recipere Stephanus et Lambinus. Porro haeserunt in tali collocatione librarii *p. Quint.* 5, 22 *Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium coepit.* Quo loco nonnulli codices plane omittunt istud *coepit,* id quod nequaquam debebat commendare Orellius. Historicus enim, qui vocatur, infinitivus quando sit usurpatus, paullo post docebo. — Apparet igitur, opinor, quo pacto *coepit* facillime potuerit corrumpi, praesertim cum hos etiam locos, qui similiter sunt scripti, ob ita collocatum verbum *coepit* a librariis corruptos esse, nemo non videat — Sed ne temere illud affirmasse existimer, optimos scriptores nunquam cum verbo *contingendi* coniunxisse *infinitivum,* sed tantummodo coniunctionem *ut,* exemplis omnibus, quae apud optimum quemque scriptorem inveniuntur, probabo, in hanc rem satis me fuisse attentum. Ex ipsius Ciceronis operibus hos annotavi locos, triginta fere, *d. Fin.* III, 8, 28 *Et quoniam is cui contigit, ut iure laudetur, habet insigne quiddam ad decus et ad gloriam.* IV, 27, 75 *Aeque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentae sint.* V, 21, 58 *Praeclare enim Plato „Beatum, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam verasque opiniones assequi possit!“* 30, 92 *At hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in vita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus ἀγέλαστος, ut ait idem, vocaretur. Parad.* V, 1, 34 *Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. d. Rep.* I, 8, 13 *Quibus de rebus, quoniam nobis contigit, ut idem et in gerenda republica aliquid essemus memoria dignum consecuti. d. Orat.* III, 1, 3 *quamquam hoc Crasso semper fere contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur. Philipp.* V, 18, 49 *Utinam C. Caesari, patri dico, contigisset adolescenti, ut esset senatui atque optimo cuique carissimus! ad Fam.* II, 2 *si ei contigisset, ut te ante videret, quam a vita discederet.* XVI, 6, 2 *Cura, cura te, mi Tiro; quoniam non contigit, ut simul navigares, nihil est, quod festines. ad Quint. Fr.* II, 3, 2 *idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut*

convicio et maledictis impediretur. *ad Att.* VIII, 11, 5 *Quoniam autem, tecum ut essem, non contigit.* Cf. *d. Nat. D.* II, 18, 47. *d. Amic.* 2, 8. 23, 87. *d. Off.* I, 1, 3. 43, 153. *d. Fin.* IV, 18, 50. *Brut.* 84, 290. *ad Fam.* IX, 14, 7. XV, 13, 2. *ad Quint. Fr.* I, 1, 10, 29. in *Fragm. F*, 6 *m.* 14, 5 *in. et m.* — Porro ex epistola Planci *ad Ciceronem* apud Cic. *ad Fam.* X, 18, 3 *Mihi enim si contigisset, ut prior occurrerem Antonio, non mehercules horam constitisset.* — Apud Caesarem talis locos frustra quaesivi; nec mirum. — Bis apud Cornelium Nepotem VIII, 1, 2 *huic contigit, ut a triginta oppressam tyrannis ex servitute in libertatem vindicaret.* XX, 1, 1 *Namque huic uni contigit, quod nescio an ulli, ut et patriam, in qua erat natus, oppressam a tyranno liberaret.* — Apud Sallustium non inveni talem locum, ne apud Livium quidem. — Haec est igitur apud optimos aureae aetatis scriptores ratio, ut, si qui illud *contigit* cum verbo aliquo coniunxerint, apud hos sequatur coniunctio *ut*, nunquam *infinitivus.* Primus, quantum scio, scriptor, apud quem talis infinitivus legitur, est Velleius Paterculus *Hist. Rom.* II, 124 *ext. Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari praetoribus contigit.* Qui locus id etiam habet singulare, quod illud *contigit* cum dativo praedicati coniunctum est, id quod in hoc verbo tantum fere apud poëtas fieri memini. Nam quod recentiores toties solent scribere *contigit mihi esse tam felici*, cum per se talis tautologia sit ineptissima, tum ipsa constructio ista levissima nititur auctoritate. — Apud Tacitum quoque nullo loco inveni illud *contigit, ut*, quod toties apud Ciceronem legitur; at, quae erat illorum quidem temporum scribendi licentia, semel ea usus est constructione, quam hoc quidem uno loco Ciceronis ortam esse ex corruptela videor esse probaturus omnibus, qui de talibus rebus possunt iudicare. Locus iste legitur in *Agric.* 45 *ext. Sed mihi filiaeque, praeter acerbitatem parentis erepti, auget maestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu, complexu, non contigit.* Verum, ut Ciceronis loco istud *contigit* ferri ob gravissimas causas, videlicet ob ineptam, quae tum esset, sententiam, et ob illam constantem Tulli aequaliumque dicendi consuetudinem non potuit, ita et apte, quod ad sententiam attinet, hoc loco locutus est Tacitus, nec repugnat talis infinitivus Taciti dicendi consuetudini, qui quidem amet talia rariora ac liberiora. — Quamquam istius quidem constructionis, quam habent omnes nostro loco libri, simillimam hanc esse

multi opinabantur, quae legitur apud Cic. *ad Att.* VI, 11, 1 *Dolabellam antea tantummodo diligebam; obligatus ei nihil eram (nec enim acciderat mihi opus esse), et ille mihi debebat, quod non defueram eius periculis.* Sed nihil vidi magis. Nam qui meminerit talis loci, qualis est *ad Fam.* III, 1, 1 *intelligo, omnia, quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima*, quo loco ex similitudine Graeci verbi τυγχάνειν usurpatum est *accidere*, is igitur, qui recordabitur, in epistolis saepius quam alibi Ciceronem Graecos imitatum esse, intelliget, quemadmodum isto loco accipienda sint verba *nec enim acciderat mihi opus esse.* Graece enim verteres οὐδὲ γὰρ ἔτυχον ἐνδεῶς ἔχων, nos *ich war gerade nicht im Falle des Bedürfnisses gewesen.* Apparet igitur, quam fuisset alienum, si hoc loco dixisset Tullius *nec enim mihi acciderat, ut opus esset*, quod vix fuisset Latinum. Vix potuit autem infinitivum istum *opus esse* devitare scriptor, nisi forte usurpavisset vocabulum *indigentiae*, hoc modo *nec enim acciderat mihi indigentia.* Sed talem asperitatem vitaturus potius confugit Tullius ad Graecorum elegantias.

Poteram quidem finire hanc annotationem; sed ne quis prae coniectura *coepit*, quam certissimam esse contendo, arripiat alteram, ingeniosam illam quidem, in quam incidit amicus, quicum huius loci difficultates communicaveram, qui quidem illud *contigit*, tamquam ineptam librari interpretationem infinitivi *antecellere*, quem pro historico iubet haberi, plane delendum, nec quicquam in eius locum substituendum existimavit, ne quis igitur hanc coniecturam, primo aspectu maxime probabilem, praeferat illi verissimae, dicendum mihi erit de Tulliano usu historici, quem vocant, infinitivi. Et cuivis, opinor, apparebit, hoc loco talem infinitivum ferri utique non posse. Acutissime autem, ut solet, Ramshornius in *Gramm. Lat.* §. 168, 5 (p. 636) finis quasi constituit et terminos huius infinitivi historici, cuius regulam cum loci omnes, quos apud Ciceronem quidem inveni, plane confirment, verba viri doctissimi huc transscribenda putavi. Sic autem disputavit Ramshornius:

„*Zustände, die als Wirkungen innerer Unruhe, anhaltender Leidenschaft, oder auch empörter Elemente versinnlicht werden sollen, werden von dem Erzählenden in der Sprache eines von denselben Ergriffenen durch den* Infinitivus Praesentis *mit einem Subjectsnominativ dargestellt. Dieser* Infinitivus historicus *verhält sich als beschreibender zu dem referirenden Präsens* §. 164, 2, *wie in gemässigter Rede das Imperfectum zum Per-*

fecto, und steht gewöhnlich mehrfach hinter einander, auch nach der Zeitpartikel quum."

At quam esset huic regulae contrarius noster locus, si revera usus esset Cicero infinitivo historico! Nulla esset enim hoc loco *animi commotio*, nulla *perturbatio*, nulla porro *descriptio* (*Beschreibung*, *Schilderung*), sed infinitivum historicum in re usurpasset Tullius, quae *narratur*, et non *describitur* et *depingitur*. Non magis autem hoc loco Tullianus esset talis infinitivus, quam quem locum iam supra attigimus *p. Quint.* 5, 22 *Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium coepit*; quo loco ob eandem causam Orellius non debebat probare lectionem codicum nonnullorum, qui omittunt istud *coepit*. Accedit, quod nullo loco Cicero usurpavit infinitivum historicum in verbo substantivo. Aeque perversus esset *in Verr. A.* II, *l.* II, 22, 55 *Res occultari satis non potuit*, ubi ex prava Naugeri coniectura plerique editores temere receperunt *posse*. *Narratur* enim, non *describitur*. — Non tamen cadere istam Ramshorni regulam in infinitivum historicum, qui invenitur apud historicos, alio docebo loco.

Ibidem. *cunctaeque Graeciae*. Sic codices fere omnes, optimus etiam Erfurtensis. Est autem per attractionem dictum pro *in ceteris Asiae partibus cunctaque Graecia*, quod ipsum cum ex aperta correctione legatur in codice Barberino primo deterioris notae, nec debebat recipi a Lambino, Schuetzio, Matthiaeo, Beutero, nec commendari ab Orellio. Nam ut saepissime apud Graecos, sic interdum apud Latinos ea, quae, si de grammatica quaeratur ratione, falsa sunt, debent ferri, si poterunt explicari per attractionem. Per se quidem falsissimum fuisset *partibus cunctae Graeciae* pro *cunctis partibus Graeciae*, sed, cum antecedat genitivus ille *Asiae*, per attractionem id quoque positum est genitivo, quod debebat quidem poni ablativo. De simili attractione cf. quae dicam infra 12, 31 ad verba *ingenio autem tanto, quanto id convenit existimari*. In hac ipsa autem oratione saepius fere Graecorum Cicero imitatus est idiomata quam alibi, scilicet, dixerit quispiam, propterea quod Graecus defendendus erat homo. Nec vero quisquam ita defendet codicum lectionem, ut dicat, *cunctaeque Graeciae* potius esse locativum casum, quam genitivum, idem significantem quod *cunctaque Graecia*, quamquam non ignoro, ipsum illud *Graeciae* casu locativo esse dictum pro *in Graecia* a Cicerone *d. Rep.* III, 9, 14 *Deinde Graeciae, sicut apud nos, delubra magnifica humanis consecrata simulacris, quae Persae nefaria putaverunt.*

Ibidem. *celebrantur*. Nemini, credo, audacior fuisse

videbor, quod primus hanc verissimam recepi codicis Erfurtensis lectionem, quae cur in ceteris libris oblitterata sit, facile intelligitur. Offensi sunt enim primum librarii in ipso tempore praesenti, quod nimis audacter illis de re praeterita usurpatum esse videbatur; tum, quod maius etiam erat, in consecutione temporum peccatum esse existimabant, cum in uno membro enuntiationis legeretur praesens *celebrantur*, in altero imperfectum *superaret*. Hae videntur quidem difficultates, verumtamen si quis inquiret aliquo modo in totum hunc locum, intelliget, non modo non in his haerendum, verum etiam maximo opere laudandum esse Tullium, quod sic potissimum, non aliter, hunc locum constituerit. Propterea scilicet praetulit orator praesens tempus *celebrantur*, ut rem, quae multis quidem ante annis gesta erat, sed quae maxime id probabat, quod erat Tullio probandum, ut hanc rem tamquam praesentem ante oculos auditorum poneret. Vix autem ulla res praeterita aptius potuit repraesentari, quam haec, quae iam per se, utcunque narrabatur, quasi praesens auditoribus obversabatur. Cum vero orationis etiam calorem addiderit Tullius, causam suam vel maxime adiuvit. Quod autem in altero membro positum est imperfectum *superaret*, non praesens *superet*, id ipsum quoque rectissimo Cicero fecit iudicio. Quamquam enim in alacri ac vivida oratione ea quidem res praeterita potest repraesentari, quae oculis quodammodo cernitur, velut quod hoc loco narrat orator, Archiae adventus in omnibus urbibus mirum quantum celebratos esse, tamen parum fuisset aptum, si Tullius eodem tempore praesenti, et quasi repraesentanti, id etiam elocutus esset, quod sequebatur ex illa celebratione. Nam eventus ille, *ut famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admirationemque superaret*, ut res facta et absoluta narranda erat, nec sane potuit id, quod homines illo tempore senserant, ob oculos auditorum poni. Nemo igitur non videt, rectissime atque aptissime hoc loco scripsisse Ciceronem, contra multo languidius futurum fuisse imperfectum *celebrantur*. Huc accedit, quod lectio ista *celebrabantur*, quam adhuc omnes fere editores receperunt, non admodum videtur librorum niti auctoritate; certe, si quid ex Orelli annotatione colligam, potius est coniectura Stephani, quam codicum lectio; tametsi Orellius aliquot tantum codicibus tribuit lectionem *celebrabatur*. Utcunque est, apparet, ex illo praesenti *celebrantur* propter ignorantiam librariorum facillime oriri potuisse et *celebrabantur* et *celebrabatur*; contra non sane perspicitur, unde ortum sit illud *celebrantur* in optimo codice Erfurtensi, nisi ab ipso

Tullio. Etenim talia difficiliora non solent comminisci librarii.

Ibidem. *ut famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admirationemque superaret.* Quis non miretur, hanc verissimam optimi codicis Erfurtensis aliorumque codicum lectionem *admirationemque* pro *admiratioque*, ut satis inepte plerique, deteriores tamen, habent libri, repudiatam esse ab editoribus omnibus? Nam quamvis apte dicatur *adventus superare exspectationem*, ineptus fuisset Cicero, si dixisset *exspectationem*, quam quidem apud homines moverat fama Archiae, *superatam esse admiratione*, qua affectus est poëta; profecto enim *exspectatio*, quam habes de alicuius ingenio, ita tantummodo potest *superari*, si documenta, quae edet ingeni sui, erunt maiora, quam exspectaveras; ne tamen credas, Ciceronem pro documentis, ex quibus aestimari debebat ingenium Archiae eiusque fama, posíturum fuisse *admirationem* hominum. Aptissima est autem optimi libri lectio *admirationemque*, quam tamen nescio quo pacto videtur intellexisse nemo. *Adventus* enim ipsius Archiae, h. e. documenta, quae post adventum suum edidit ingeni Archias, *superavit* et *exspectationem*, quae de ingenio eius tenuerat homines, et *admirationem*, quam ipsa fama eius ingeni moverat. Nihil est igitur aptius recepta lectione, in qua illud quoque maxime est Tullianum, quod inter duos accusativos interposuit id, in quo vis ponenda erat omnis, dico *adventum* Archiae. Quam fuisset enim languidum, si scripsisset Cicero hoc modo *ut famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem admirationemque ipsius adventus superaret*, quam verborum collocationem ideo etiam vitasse existimandus est orator, quod, ut paullo ante *famae ingeni* solam opposuerat *exspectationem*, sic post statim ipsi *exspectationi* debebat opponere *adventum*; deinde addere poterat *admirationem*.

Ibidem. §. 5. *Erat Italia tunc plena.* Non putavi hoc loco obtemperandum esse auctoritati codicis Erfurtensis, in quo pro *tunc* legitur *tum*. Satis enim constat, rariorem hanc apud Tullium formam *tunc* saepenumero a librariis corruptam esse in alteram usitatiorem *tum*. Quodsi recte ei iudicant, qui paucis illis locis Tullianis, quibus habent libri optimi istam formam *tunc*, sic usurpatam esse dicunt, ut maior in ea insit vis, quam in altera *tum* (id quod sane etymologia istius formae docet, cum orta videatur ex *tumce*): nemo non videt, hoc certe loco rectissime in plerisque libris scriptum esse *tunc*, non *tum*. Namque urget Tullius hoc tempus, ut nos diceremus *gerade damals.* Non minus recte autem Tullius

in sequentibus scripsit *tum colebantur*, etiamsi opponantur *tum* et *nunc*. Nam cum iam supra ursisset hoc tempus, ineptum fuisset, idem altero loco facere. — Denique quod Orellius dubitavit an reciperet Iuntinae lectionem *Erat tum Italia* pro *Erat Italia tunc*, id qui non miretur, invenietur nemo. Ut taceam enim, minus aptum esse hoc loco *tum* quam *tunc*, vix Latinam istam collocationem esse contendo. Quis enim unquam dixit *eram tunc ego plenus*, *sum nunc ego plenus* pro *eram ego tunc plenus*, *sum ego nunc plenus*, aut simile quicquam? Nempe ubi a verbo substantivo incipit oratio, statim cum hoc coniungendum est subiectum eius, nec debent illa seiungi tali particula temporali.

Ibidem. *Itaque unum*. Sic unus omnium praestantissimus liber Ambrosianus pro *Itaque hunc*, quod in ceteris legitur codicibus. Atque recepta lectio ita est vera, ut non egeat longa commendatione.

Ibidem. *qui aliquid de ingeniis poterant iudicare*. Saepenumero, ut *nihil*, sic *aliquid* adverbi more a Latinis usurpatum esse, vix opus est commemorare. Simillimus est autem locus in *Brut.* 71, 248 *Mihi mehercule*, *inquit*, *Marcellus satis est notus*, *Caesar autem parum*. *Illum enim saepe audivi; hic*, *cum ego iudicare iam aliquid possem*, *abfuit*. — Sed nescio quomodo adhuc ignorasse videntur homines docti, etiam *quicquam* non raro ab ipso Cicerone sic esse usurpatum; ut *d. Fin.* IV, 16, 43 *quae cum proponunt*, *ut sit aliqua rerum selectio*, *naturam videntur sequi; cum autem negant*, *ea quicquam ad beatam vitam pertinere*, *rursus naturam relinquunt*. *d. Invent.* II, 27, 81 *ac si idem facere ipse*, *qui nunc accuset*, *voluisset*, *ne hoc quidem ipso quicquam opus fuisse iudicio*. *ad Att.* V, 17, 5 *Si quicquam me amas*, *hunc locum muni*. XI, 16 4 *Quod suades*, *ut ad Quintum scribam de is litteris*, *facerem*, *si me quicquam istae litterae delectarent*. XII, 22, 3 *Ne filius quidem quicquam utitur*, *et is usuris facillime sustentabitur*.

Ibidem. *cognitione atque hospitio dignum existimarunt*. Miror, quod neque Schroeterus offensus est in vocabulo *cognitionis*, neque quisquam omnino interpres hoc loco dignum illud habuit, de quo disputaret. Etenim rarissime hoc vocabulum sic apud Tullium usurpatum invenitur, ut ad hominem pertineat, idque significet, quod nos dicimus *Bekanntschaft;* ita quidem raro, ut lexicographi de tali significatione plane non cogitaverint. Sed immerito. Nam praeter hunc locum duos apud Tullium inveni, quibus eodem modo usus est hoc vocabulo; ut *ad Fam.* XIII, 78, 2 *Huic ego tantummodo adi-*

tum ad tuam cognitionem patefacio et munio; cognitum per te ipsum, quae tua natura est, dignum tua amicitia atque hospitio iudicabis; et in *Fragm.* F, 6, 2 (p. 487) *Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut maiora omnia re, quam fama, viderentur; id quod non saepe evenit, ut exspectatio a cognitione, aures ab oculis vincerentur.* Contra de *rebus cognitione dignis* saepe locutus est Cicero; ut *Orat.* 21, 70 *de quo praeclare, et multa praecipiuntur, et res est cognitione dignissima. d. Fin.* III, 11, 37 *quis contra studia naturae tam vehementer obduruit, ut a rebus cognitione dignis abhorreat.* V, 19, 50 *Quae qui non vident, nihil unquam magna cognitione dignum amaverunt. d. Off.* I, 6, 19 *Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur.* 43, 153 *quamvis omnia, quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret et contempletur*; et 154 *tractanti contemplantique res cognitione dignissimas.* II, 2, 5 *quae nec erant satis nota nostris, et erant cognitione dignissima.*

Ibidem. *celebritate famae.* Ita plane *Tusc.* I, 12, 28 *Hinc Liber Semela natus, eademque famae celebritate Tyndaridae fratres.* Cf. Liv. XXVII, 33 *in. famamque inter barbaros celebrem esse, Philippum occisum*; quem locum iam supra 3, 4 attigi, ubi disputabam de significatione adiectivi *celeber*. Eadem vero cadunt in substantivum *celebritas*; atque ut *celeber* non significat *berühmt*, sic *celebritas* nullo loco est *Berühmtheit.* Potius, ut *fama celebris* ea est, *quae saepe auditur*, item *famae celebritas* est fere *crebra auditio famae*, i. e. *gloriae.* Sed quis hoc loco non miretur ineptam Schroeteri cavillationem, qui etiamsi sciret in Tusculanis quoque ita dixisse Tullium, eo progressus est audaciae, ut illo quidem loco, quo, perinde atque nostro, nulla est lectionis varietas, scribendum esse contenderet *nominis celebritate*, nostro tamen loco absurdam declamatoris dictionem sibi videretur detexisse?

Ibidem. *Mario consule et Catulo.* Sic *d. Rep.* I, 9, 14 *Tuditano consule et Aquillio. Brut.* 96, 328 *a Crasso consule et Scaevola.*

Ibidem. *cum res gestas, tum etiam studium.* De hoc loco infra loquar 12, 31 ad verba *cum dignitate, tum etiam vetustate.*

Ibidem. *studium atque auris adhibere.* Cf. Tac. *Ann.* XIV, 53 *m. Ego quid aliud munificentiae tuae adhibere potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata.*

Ibidem. *domum suam.* Perperam novissimi editores, Matthiaeus et Reuterus, non improbante ipso Orellio, rece-

perunt praepositionem, quam pauciores ac deteriores habere videntur codices. Namque Erfurtensis etiam codex, teste Wundero, illam omisit. Constat vero, ut recentiores librarii temere solebant addere in hoc vocabulo praepositionem *in*, ita in optimis plerumque libris servatam esse manum Tullianam; velut simillimo loco *in Verr. A.* II, *l.* I, 26, 65 *Homo, qui semper hospitalissimus amicissimusque nostrorum hominum existimatus esset, noluit videri ipsum illum Rubrium invitus domum suam recepisse.* Quo loco cum pauci tantum codices habeant *in domum suam*, rectissime Stephanus, Lambinus, Zumptius cum optimis codicibus omiserunt praepositionem.

Ibidem. *Sed etiam hoc.* Retinui omnium fere librorum, etiam codicis Erfurtensis, lectionem *Sed etiam*, quae una est verissima, ac, si magis in illam inquisissent interpretes, non sane cogitassent de corruptela. Alii autem cum uno codice Oxoniensi deleverunt istud *etiam*, ut Schuetzius, cuius rationem ita probavit Orellius, ut unciuis circumdaret hanc particulam. Sed apparet, in uno illo codice hanc, ut fit, sive ob sequens, sive ob praegressum *etiam* intercidisse, sive etiam quod a librario non intelligebatur. Alii, in hisque plerique novissimi editores, etiam Matthiaeus, receperunt Cratandri coniecturam *Sed enim*; verum, ut satis est elegans haec coniectura, ita nego Tullium sic fuisse scripturum. Saepissime quidem apud Tullium legitur *at enim*, veruntamen rarissime, duobus scilicet locis, usurpavit *sed enim*, ita quidem, ut ex his duobus locis concludas, ubi potissimum Tullius ea dictione usus esse videatur. Et certe, cum duobus locis, qui apud scriptorem inveniuntur, proprius quidam dictionis usus agnoscitur, etiam tertio loco, id quod cauta postulat critica, si dictio illa ex coniectura inferatur, idem debet esse usus. Cf. *p. Coel.* 24, 60 *Sed revertar ad crimen. Sed enim haec facta illius clarissimi ac fortissimi viri mentio et vocem meam fletu debilitavit et mentem dolore impedivit. Sed tamen venenum unde fuerit, quemadmodum paratum sit, non dicitur.* Sic suo iure cum codicibus omnibus Orellius. *ad Att.* VI, 1, 11 *In Pompeio te spem omnem oti ponere non miror; ita res est; removendumque censeo illum „dissimulantem.“ Sed enim, οἰκονομία si perturbatior est, tibi assignato; te enim sequor σχεδιάζοντα.* Apparet igitur, his locis in re iniucunda ac molesta apponenda usurpatum esse *sed enim*, perinde atque nos usurpamus *aber freilich.* Non nego quidem, potuisse a Tullio alio modo usurpari *sed enim*, cum per se nihil aliud significet, nisi *sed, nam verum est, quod apponam*, tamen

videtur in certa re, in re iniucunda, Tullius ea dictione usus esse. Nec sane facile aliter explicabis, cur tam raro inveniatur *sed enim*. Quod reliquum est, Matthiaeus, qui recepit hoc loco *Sed enim*, satis miram excogitavit ellipsin in particula *enim*, quam iam ipse Handius, quem quidem laudat Matthiaeus, rectissimo iudicio improbaverat. Namque in dictionibus *at enim*, *sed enim* particula *enim* nihil aliud significat, nisi causam scriptorem habere, cur aut priorem aliquam sententiam improbet (*at enim*), aut cur secernat et apponat aliquid, quod sibi distinguendum videatur (*sed enim*). Nostro igitur loco in re gravissima secernenda et apponenda, et potius iucunda quam molesta, usurpata esset haec dictio, quod nullo loco fecit Tullius. At cur tamdiu verser in refellendis hominum doctorum coniecturis, cum verissima sit ea lectio, quam omnes fere habent codices? Haec est enim apertissima huius loci sententia: „Sed Archiam non solum ingenio ac litteris, verum etiam natura atque virtute praeditum esse, cum ex multis aliis rebus intelligere potestis, tum etiam ex hoc, quod natura maxime ac virtus effecerunt, ut domus, quae huius adolescentiae prima faverit, eadem esset familiarissima senectuti.“ Vides igitur, vel aptissime addidisse Tullium hoc *etiam*, quippe cum significandum certe esset, non solum ex illa re intelligi Archiae virtutem, sed ex multis aliis rebus, quas tamen non hic erat locus longius persequendi. Eam autem modo rem commemoravit, in quam ipsa oratio eum deduxerat.

Ibidem. *faverit*. Quamquam minime is sum, qui verba scriptoris, si apta sunt, aptiora etiam et elegantiora reddere cupiam, tamen, si quid, quod non est Latinum, Latinum efficiendum existimo, in hoc me reprehendet nemo. Non Latinum autem esse hoc loco istud *fuerit*, quod omnes habent codices, optime iam perspexerant viri doctissimi Reizius et Weiskius, ipse etiam Schroeterus, quorum iudicium recentiores editores magis debebant perpendere, aut certe, si coniectura abstinendum esse existimabant, defendendum erat, quod in libris legitur. At nemo defendit, sed satis habuerunt editores, aut silentio hunc locum praeterire, aut invehi in coniecturas, quas fecerant illi viri summi. Primum, quis unquam scriptor dixit *haec adolescentiae meae domus fuit* (sive habeatur *adolescentiae* pro genitivo, sive pro dativo) pro *in hac domo adolescens versatus sum?* quasi vero quis nostro sermone diceret *das war die Familie meiner Iugend* pro *in dieser Familie lebte ich als Iüngling*. Ne quis autem solito istorum more, qui ineptias defendunt, contendat, La-

tinos aliter locutus esse atque nos. Nam id ipsum scire cupio, ubi homo Latinus sic locutus sit. Accedit autem, id quod aeque magno est momento ad infringendam istam lectionem, ut prorsus nulla sit antithesis in verbis *prima* et *familiarissima*. Nam qui scit, quantum sit Ciceronis antithetorum studium, is in tali loco, ubi antithesis non modo facilis est, verum etiam utique postulatur, vel maxime debet offendi et haerere. Nemo igitur mirabitur, quod ingeniosissimam ac verissimam Weiski coniecturam *faverit* pro *fuerit* recipiendam duxi, quae ita est vera, ut de iudicio hominum doctorum viderer dubitare, si multis verbis eam commendarem. Sic tantummodo habemus sermonem vere Latinum, sic antitheta Tullio dignissima; nam faverunt Luculli adolescenti Archiae propter ingenium ac litteras, familiarissimi facti sunt propter naturam atque virtutem. Ridiculum est autem, Orellium commendasse suspicionem Reizi *patuerit*, satis improbabilem, quae ipsa quoque altera laboraret difficultate, ne memorasse quidem illam Weiski coniecturam certissimam. Confunduntur autem *fuerunt* et *faverunt* etiam *p. Flacc.* 32, 78, atque ibidem 33, 81 *fuisses* et *favisses*.

Ibidem. §. 6. *cum Q. Catulo, patre et filio.* Sic rectissime codex Ambrosianus pro *et patre et filio*, quod ceteri habent. Nam maius pondus situm est in eo, quod cum Q. Catulo, patre, oratore clarissimo, minus, quod cum filio vixit. Cf. Cic. *Brut.* 35, 132 et 133.

Ibidem. *percipere atque audire.* h. e. et percipere et audire. Sic editores plerique; nonnullae contra editiones *percipere aut audire.* Utraque lectio codicum videtur niti auctoritate, quamquam ex Orelli annotatione certi nihil poterit concludi. Sed cum Erfurtensis quoque codex, et optima editio 1480 habeant *atque*, ne ego quidem dubitavi recipere hanc lectionem, etsi, quod ad sententiam attinet, etiam particula *aut* poterat ferri; a maiore enim ad minus descenditur. Orta est autem haec altera lectio sine dubio ex prima syllaba verbi sequentis.

Cap. IV. ead. §. *idque, cum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracliensibus impetravit.* Quis non miretur, Schroeterum hoc loco vehementer offensum esse in vocabulo *dignus*, quod vir praeclarus ignorabat saepenumero absolute dici tum, cum de ea re, qua quis est dignus, scriptor commodum locutus est? Sic hoc loco in verbis *cum ipse per se dignus putaretur* nemo non sentit intelligendum esse hoc *dignus, qui ascriberetur in*

civitatem. Ita plane *p. Planc.* 3, 8 *nunc tantum disputo de iure populi, qui et potest et solet nonnunquam dignos praeterire;* h. e. *dignos, qui non praetereantur.* *p. Mil.* 7, 19 *Num quae rogatio lata, num quae nova quaestio decreta est? Atqui, si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit, certe haec in illa causa summa omnia fuerunt;* h. e. *dignum, quo nova quaestio decerneretur.* *Philipp.* XIII, 21, 48 *Hanc ego epistolam, Patres conscripti, non quo illum dignum putarem, recitavi, sed ut confessionibus ipsius omnia patefacta eius parricidia videretis,* h. e. *dignum, cuius causa recitarem.* *in Verr. A.* II, *l.* V, 66, 170 *Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest;* h. e. *digno re tam nefaria.* *p. L. Man.* 17, 52 *Si uni omnia tribuenda sint, unum dignissimum esse Pompeium;* h. e. *dignissimum, cui omnia tribuantur.* Sic permultis aliis locis, sed quid opus in re vel pueris nota pluribus exemplis? At enim contendit doctissimus Schroeterus, ipsum Ciceronem *Philipp.* III, 9, 21 similem usum in edicto quodam Antoni reprehendisse, quo quidem loco haec leguntur *Sententiolas edicti cuiusdam memoriae mandavi, quas videtur ille peracutas putare; ego autem, qui intelligeret, adhuc neminem inveni. „Nulla contumelia est, quam facit dignus." Primum quid est „dignus?" nam etiam malo digni, sicut ipse.* Profecto si Tullius sic hoc loco scripsisset, ut Antonius illo loco locutus esse fertur, ipse quoque contenderem, haec verba Tullio esse indignissima. Veruntamen Antonius ita absolute hoc vocabulo usus est, ut quidvis possit intelligi. Nam tametsi eum intelligi voluit, quem nos dicimus *einen würdigen, ehrenwerthen Mann,* tamen, ut lepide cavillatur Tullius, etiam is potest intelligi, qui malo est dignus, sicut ipse Antonius. Vix est enim Latinum ista significatione *homo dignus.* — Iam vero Schroeterus, cum ignoraret, ipsum Tullium saepissime sic usum esse adiectivo *dignus,* mirum aliquid excogitavit, contendens, fortasse declamatorem, quae eius esset Latinitas, coniunxisse illud *dignus* cum accusativo *idque.* Sed, ut omittam talis ineptias, in hoc ipso accusativo, coniungendo videlicet cum verbo *impetravit,* vel maxime perspicitur manus Tulliana. Constat enim, Ciceronem in primis lubenter illud *id* ita usurpasse, ut in isto totam aliquam comprehenderet partem sententiae, de qua paullo ante locutus erat; velut hoc loco verba *idque impetravit* significant *atque ut in civitatem ascriberetur impetravit.* Omnium saepissime id factum esse constat in dictione *id agere,* de qua re disputavit Klotzius in *Quaest. Tull.* I,

p. 14. Neque tamen raro tale *id* etiam in verbis *impetrandi*, sicut hoc loco, usurpatum est. Cf. *Tusc.* II, 3, 8 *Nobis autem videtur, quicquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere. Nec, si id ipsi minus consequi possumus, idcirco minus id ita faciendum esse sentimus.* Sic verissime Wolfius cum optimo codice Regio; temere autem multi editores, non recte probantibus Goerenzio et Orellio, cum deterioribus libris omiserunt illud *id.* Nam hoc *id* in verbis *si id ipsi minus consequi possumus* pertinet ad illud, quod modo dictum erat, *id commendari omnium eruditorum lectioni decere*, quare brevius atque concinnius sic locutus est, quam si repetisset hoc modo *si minus ipsi consequi possumus, ut commendetur omnium eruditorum lectioni. Brut.* 72, 252 *Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Caesare et ipse ita iudico, et de hoc huius generis acerrimo existimatore saepissime audio, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissime. Nec id solum domestica consuetudine, sed multis litteris, summoque studio et diligentia est consecutus;* h. e. *ut loqueretur elegantissime.*

Ibidem. § 8. *Si nihil aliud nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius; causa dicta est.* Cf. *p. Cluent.* 52, 145 *Quodsi nihil aliud esset actum, nisi ut hanc causam obtinerem, lege recitata perorassem.* — Quod vero ad constructionem attinet, attendendum est, Tullium nullo loco dixisse *de nulla alia re, nisi de civitate dico, cogito*, sed semper eum ad istud loci verbum aptasse accusativum *nihil aliud* aut solum *nihil.* Ita prorsus *in Verr. A.* I, 9, 26 *animo coepi multo magis vacuo ac soluto nihil aliud nisi de iudicio agere et cogitare. p. Syll.* 23, 65 *ita se gessit in tribunatu, ut onere deposito domestici offici nihil postea nisi de reipublicae commodis cogitarit. p. Planc.* 26, 64 *sic tum existimabam, nihil homines aliud Romae nisi de quaestura mea loqui. p. Sest.* 28, 61 *sed in tanta reipublicae tempestate nihil sibi nisi de patriae periculis cogitandum putabat. Philipp.* III, 5, 13 *quamquam vos nihil aliud nisi de praesidio retulistis.* IV, 2, 4 *ut nihil nisi de pernicie reipublicae cogitaret.* X, 4, 8 *At hunc videbam nihil nisi de pace et concordia civium cogitantem.* XI, 9, 22 *nihil te volumus nisi de Bruto cogitare.* 10, 24 *Vereor, ne tardentur animis, si quicquam aliud a nobis nisi de instanti bello cogitatum putabunt. ad Fam.* XV, 21, 4 *Quodsi in is scribendis nihil aliud nisi de uno me tamdiu cogitavisses.* Denique *p. L. Man.* 22, 64 *ut nihil aliud nisi de hoste ac de laude cogitet.* Sic verissime codex Erfurtensis pro *nihil*

aliud quam, quod ceteri habent codices et pleraeque editiones. Ortum est enim sine dubio istud *nihil aliud quam* propter posterioris temporis dicendi morem, qui librariis, qui talibus locis ellipsin esse putabant, erat promptior. Attuli autem hos locos, non quo mihi mirum quid ac singulare in is videretur inesse, sed ut intelligeres, quam facile post hanc Tulli tempore usitatam dicendi rationem, quae tamen prorsus est consentanea, sequenti aetate liberior iste oriri potuerit dicendi mos, ex quo cum ellipsi quadam usurpatur *nihil aliud quam*. Illis quidem locis nulla est ellipsis; nam cum et dici possit *nihil aliud dico*, et *de re aliqua dico*, tantummodo utraque dicendi ratio coniuncta est, si dicitur *nihil aliud nisi de civitate dicimus*, verumtamen posterioris aetatis homines non recte iam hos locos sic videntur intellexisse, quasi inesset in is ellipsis quaedam hoc modo *si nihil aliud agimus, nisi de civitate dicimus*. Alii tamen, verius fortasse, ellipticum illud *nihil aliud quam* ex imitatione Graeci *οὐδὲν ἄλλο ἤ* ortum esse existimabunt.

Ibidem. *huius iudici causa*. Quamquam rectissime hoc loco omnes codices (nihil aliud enim debet concludi ex Orelli annotatione), optimus etiam codex Erfurtensis, omittunt ante genitivum *huius* pronomen relativum *qui*, tamen aliquot editores illud ex suo ingenio intulerunt in orationem, idque commendavit Orellius. Quin Schroeterus etiam in declamatorem suum iniquiorem se futurum fuisse contendit, nisi illo etiam loco illud pronomen, quod tam facile potuisset omitti, recepisset. Apparet autem, quam parum attentus fuerit Schroeterus cum ceteris illis editoribus in notissimum illud Latinorum atque Graecorum idioma, secundum quod illi pronomen relativum praegnanti quadam vi ibi usurpant, ubi nos non item relativo pronomine, sed demonstrativo utimur. Atque hi quidem sunt loci, quibus Latini ac Graeci aliter locuti sunt atque nos. Quod si reputassent illi homines docti, vidissent etiam, ne ferri quidem posse duplex illud pronomen relativum. Nam duo sunt, quae hoc loco distinguuntur: unum est, adesse legatos, nec adesse solum, sed cum mandatis etiam et cum publico testimonio venisse; alterum, id quod summum erat, hos legatos hunc ascriptum Heracliensem dicere. Nos igitur sic hunc locum verteremus *Gegenwärtig sind Herakliensische Gesandte, angesehene Männer, dieses Gerichtes wegen sind sie mit Aufträgen und mit öffentlichem Zeugnisse gekommen: und diese sagen, dass er als Heraklienser eingeschrieben sei*. Eadem vi praegnanti legitur pronomen relativum etiam infra 9, 21 *Mithridaticum*

vero bellum, magnum atque difficile, et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrant.

Ibidem. *qui hunc ascriptum Heracliensem dicunt.* Mirum quantum offensi sunt omnes fere interpretes in his verbis, quae tamen rectissime scripta sunt. In eo enim se haesisse dicunt, quod, qui sic ascriptus diceretur, eundem qui factus esset, etiam antea fuisse significaretur. Quare alii *ascriptum*, alii *Heracliensem* eiiciendum putarunt; alii denique pro Heracliensem coniecerunt *Heracleae*, aut *Heracliae esse*. Verissime autem haec verba interpretati sunt, qui dixerunt *ascriptum Heracliensem* eum esse, qui ascriptione factus esset Heracliensis; nam ut cives ita distinguuntur, ut alii sint *originarii* alii *ascripticii*, sic peregrini, qui, ut Archias, ascripti sunt in Heracliensium civitatem, tum fiunt *ascripti* sive *ascripticii Heraclienses*. Quare ita differt Archias, qui est *ascriptus* sive *ascripticius Heracliensis* ab illis, qui sunt *Heraclienses originarii*. In re facillima igitur tantas fecerunt turbas homines docti.

Ibidem. *tabulas.* Ad hanc verissimam plurimorum codicum lectionem tuendam facit etiam ille codex Ambrosianus, quamquam non pauci codices, etiam optimus codex Erfurtensis, habent scripturam *tabellas*, quae utique est reiicienda. Nam nullo loco Cicero *tabulas publicas* appellavit *tabellas*. Atque potuit facillime, si de litteris quaeramus, illud *tabulas* corrumpi in *tabellas*. Constat etiam, solitos esse librarios nescio quo studio modestiae praeferre vocabula deminutiva. Cf. *in Verr. A.* II, *l.* V, 54, 142, quo loco cum optimi codices Regius et Leidensis aliique praebeant *baculo*, suo iure novissimi editores repudiarunt lectionem *bacillo*. Quamquam illud ipsum *tabellarum* vocabulum rectissime dictum est de *tabulis publicis in Verr. A.* II, *l.* V, 40, 103, propterea quod Cicero voluit deridere istas Verris tabulas.

Ibidem. *desideres.* Sic, teste Maio, pro *desideras* praestantissimus codex Ambrosianus, non, ut prius erat enotatum, *derideres*. Atque verissima haec est lectio. Nos diceremus *Bei solchen Verhältnissen nun kannst du noch die öffentlichen Verzeichnisse der Heraklienser verlangen, von denen wir doch alle wissen, dass sie während des Italischen Krieges beim Brande des Archivs zerstört worden sind?* Simillimus coniunctivus, sed sine interrogatione, non igitur cum indignatione, legitur *d. Nat. D.* II, 53, 133 *Hic quae-*

rat quispiam, cuiusnam causa tantarum rerum molitio facta sit. Quod tamen scholiastes Ambrosianus hoc loco omisit et vocabulum *publicas* et verba *Italico bello, incenso tabulario,* haut sane inde potest concludi, ipsum codicem, quem ante oculos habuit, omisisse illa verba; nam scholiastes, ut ex annotatione eius apparet, id tantummodo urgere voluit, *interisse tabulas.* Annotavit autem scholiastes haec: „Id quod derivat in aliam causam, qua effectum sit, ne exhiberi verae possent, id est propter incendium, quod evenerat bello sociali.“ Interpretum more igitur ea omisit verba, ad quae noluerat attendi. Sic infra 5, 11 omisit verba *clarissimo imperatore,* nec tamen ea ipse Cicero putandus est omisisse.

Ibidem. *Est ridiculum.* Differt aliquantulum, utrum scribatur *Est ridiculum,* an *Ridiculum est,* etiamsi multis locis, ut hoc ipso, et unum et alterum recte dicatur. Ibi autem ponitur verbum substantivum ante adiectivum, ubi de oppositione aliqua cogitatur, quae quidem potest esse duplex. Una, quae usitatior est, potest perspici hoc exemplo *Sempronius non est ridiculus, est ridiculus Caius,* si, quod de uno negatur, de altero affirmatur. Haec tamen ratio non cadit in nostrum locum, caderet quidem, si pro *desideres* legeretur *derideres.* In haec autem verba *Est ridiculum* cadit altera ratio, qua cogitatione fingitur oppositio haec *quamquam tu ipse id ridiculum esse negabis.* Si scripsisset *Ridiculum est,* quod ipsum recte, minus tamen graviter esset dictum, significasset, nolle sese, cogitari de oppositione.

Ibidem. §. 9. *An domicilium Romae non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit?* Quod hoc loco ex optimo codice Erfurtensi pro *At,* quod ceteri habere dicuntur codices, recepi *An,* in eo qui dissentiat mecum, invenietur nemo. Iam Lambinus ita sibi persuasisse videtur, requiri hoc loco particulam interrogantem, ut ex coniectura illam restitueret; sed novissivi editores, qui quidem optimum codicem Erfurtensem hanc lectionem praebere videbant, magis in totum locum debebant inquirere. Iam illa verba, quae supra erant scripta, *Quid enim horum infirmari, Grati, potest? Heracleaene esse tum ascriptum negabis?* postulant quodammodo, ut hoc loco pergat orator particula *An.* Nam tria probanda erant Ciceroni, et Heracleae tum ascriptum esse Archiam, et in Italia eum domicilium habuisse, et professum esse sexaginta diebus apud praetorem. Quare si unum illud interrogans dixerat *Heracleaene esse tum ascriptum ne-*

gabis?, concinnitas loci postulabat, ut etiam reliqua eodem modo dicerentur. Quamquam iam hoc igitur non ita leve est argumentum ad suspectum faciendum istud *At*, tamen multo sunt maiora, e quibus cuivis apparebit, etiam ineptam esse hoc loco istam particulam. Ineptum fuisset enim, si Tullius Gratium ita loquentem fecisset *At domicilium Romae non habuit*, quippe cum lex illa Sillani et Carbonis minime postularet, ut *Romae* haberet domicilium, sed tantummodo, ut *in Italia*. Id quidem plerique intellexerunt editores, sed ad hanc absurditatem removendam infelicissimas adhibuerunt coniecturas. Suspectum enim habuerunt illud *Romae*, quod tamen sanissimum esse omnibus persuadebo. Multi igitur cum Lambino, etiam Matthiaeus, pro *Romae* mira audacia scripserunt *in Italia*, alii, ut Tollius, prorsus eiecerunt *Romae*, idque probavit Orellius. Sed quod toties factum est, ut, si quo loco quid corruptelae lateat, interpretes in sanissimis verbis offenderint, id hoc quoque loco accidisse contendo. Etenim recepta illa Erfurtensis codicis lectione omnia ita sunt apta, ut vix aptius quicquam possit cogitari. Respicit autem Tullius ea verba, quae ipse supra posuerat *Cum hic domicilium Romae multos iam annos haberet, professus est apud praetorem, Q. Metellum, familiarissimum suum*; quare Tullius ipse quidem vel aptissime potuit dicere *An domicilium Romae non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit?* Cum enim ipse iam supra commemorasset, Archiam in ipsa Urbe, non modo in Italia, domicilium habuisse, aptissima ironia quaerit, nonne habuerit is domicilium Romae, qui tot annis ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocaverit. Quare eiusdem nominis *Romae* repetitio, in qua multi haeserunt, est necessaria. — Ut vero hoc loco verissima est Erfurtensis codicis lectio *An*, sic eundem codicem complurisque alios sequendos esse putavi etiam in verbis *An non est professus.* Atque nihil saepius invenitur, quam particula *immo* post interrogationem. Sic *ad Att.* IX, 7, 4 *Causa igitur non bona est? Immo optima.*

Cap. V. ead. §. *tabularum fidem resignasset.* Vehementer offensus est his in verbis Schroeterus, eam scilicet ob causam, quod alius nemo unquam scriptor dixerit *tabularum fidem resignare.* Id quidem verum, sed haec non est causa, cur offendamur. Nam quamquam dictio *tabulas resignare* per se nihil mali, sed nihil aliud significat, nisi *signum de tabulis tollere, die Tafeln entsiegeln,* tamen atten-

dendum est, Latinos saepe ea vocabula, quae aliquid significant, quod facile abusum admittit, metaphorice in malam partem usurpasse. Cum autem saepe tabulae fraudis causa resignarentur, atque sic ipsa fides tabularum tolleretur et everteretur, suo iure Cicero per translationem potuit dicere *fidem tabularum resignare*, h. e. *evertere*. Simillima multa apud Ciceronem inveniuntur, velut in usu verbi *dissolvendi*, quod eandem fere habet notionem atque verbum *resignandi*, his locis *d. Orat.* II, 58, 236 *hilaritas odiosas res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit.* Nam proprie res odiosae non possunt dissolvi, nec etiam eae res, quae dissolvuntur, semper delentur, sed cum res, quae dissolvuntur, saepe deleantur et ad nihilum redigantur, per metaphoram *res odiosas dissolvere* dicitur pro res odiosas ad nihilum redigere. Sic etiam *p. Rosc. Am.* 29, 82 *Eruci criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est.* Proprie enim non potest dici *criminationem dissolvere*, per metaphoram autem significat criminationem ad nihilum redigere. Similior etiam est locus *post red. in Sen.* 8, 21 *qui, cum a me voluntas eorum in privato iudicio esset offensa, publici mei benefici memoria privatam offensionem oblitterarunt.* Nam ut proprie dicere nemo potest *fidem resignare*, sed tantummodo per translationem, sic in verbo *oblitterandi*, quod propria notione, quae esset exstinguere litteram eo, quod in locum prioris altera substituitur (per se igitur nihil mali designaret) non facile reperitur, praevaluit notio translata, ut in malam partem de is tantummodo rebus usurpetur, quae simili quodam modo delentur. Apparet igitur, Schroeterum in is rebus solere offendi, quae maxime sunt Tullianae.

Ibidem. *His igitur talibus.* Non dubitavi pro languido *tabulis* elegantissimam recipere optimi libri Erfurtensis lectionem *talibus*, quam facillime potuisse corrumpi in *tabulis*, quis non fateatur? Haec verba autem *His igitur talibus*, h. e. his igitur, tam diligenter asservatis, praeclare cohaerent cum laudibus, quibus eas ipsas tabulas modo Cicero cumulaverat. Cf. *in Caecil.* 4, 14 *Sed quid ego his talibus testibus utor, quasi res dubia aut obscura sit?* Sic Zumptius ex optimis codicibus.

Ibidem. *nullam lituram in nomen A. Licini videtis.* Non recte commendavit Orellius aliquot codicum lectionem *in nomine*, quae unde orta sit quis non videat? Etenim aliae multae similes dictiones, velut *in potestatem*, *in amicitiam esse*, reperiuntur apud Tullium, quas interpretes ad hunc locum solent laudare. Simillimus autem locus est *in*

Cat. II, 2, 4 *quorum aes alienum contractum in popinam nullum reipublicae motum afferre poterat.* Nam ut nostro loco verba *nullam lituram in nomen A. Licini videtis* significant, nullam lituram videtis, quae nomini A. Licini possit detrimento esse, ut de eo dubitetur, sic *aes alienum contractum in popinam* nihil aliud est nisi contractum aes alienum, quod popinae detrimento est. His duobus igitur locis illud *in* eam fere habet significationem, quae est adversativa, *gegen.*

Ibidem. §. 10. *dubitatis.* Sic verissime liber Erfurtensis pro *dubitetis*, ut in deterioribus legitur codicibus. Parum enim cadit in hunc locum coniunctivus, nec nos diceremus *warum wolltet ihr zweifeln* pro *warum zweifelt ihr*; quod posterius multo magis indignationem exprimit. Cf. de tali indicativo Ramshornium in *Gramm.* §. 177, 6, N. 2, p. 740.

Ibidem. *praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit ascriptus?* Ut haesit Lambinus hoc loco in praepositione *in*, quam vir doctissimus, non improbante ipso Orellio, delendam esse existimavit, sic me ipsum quoque primo aliquamdiu offensum esse in eadem praepositione, non infitior. Mirum enim mihi videbatur, quod hoc loco illud *ascriptus* ita constructum esset, ut sequeretur *in* cum ablativo, quod verum esse persuadere mihi non potui. Nam ut dici non potest *ascribor in numero*, sed vel *ascribor in numerum*, vel *ascribor numero*, sic hoc quoque loco utique corrigendum esse existimabam *cum aliis quoque civitatibus fuerit ascriptus*, sicut supra 4, 7 scriptum erat *si qui foederatis civitatibus ascripti fuissent.* Atque eodem modo ratiocinati fuisse videntur Lambinus et Orellius. Ac tamen optime potest defendi, quod omnes habent libri, quippe cum nequaquam hoc loco constructum sit illud *ascriptus* cum praepositione *in*, sed absolute positum esse appareat. Saepe enim *ascribere* absolute ita usurpatum est, ut idem fere sit quod nostrum *einschreiben*; ita plane supra 4, 8 et in verbis *qui hunc ascriptum Heracliensem dicunt*, et ubi dictum erat *Heracleaene esse tum ascriptum negabis?*, in quo loco vehementer offensus est Schroeterus, propterea quod non perspexerat, absolute dictum esse illud *ascriptum*, atque *Heracleae* non dativum, sed locativum esse. Ut igitur nemo haesisset in his verbis, si dixisset Tullius *praesertim cum etiam Rhegi, Locris, Neapoli, Tarenti fuerit ascriptus*, sic non debebant offendi illi homines docti tum, cum pro illis nominibus dictum erat *aliis quoque in civitatibus.* Prorsus autem similis

est locus *p. Balb.* 12, 30 *Itaque in Graecis civitatibus videmus, Athenis Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique ascribi, multarumque esse eosdem homines civitatum.* Quo loco non magis illud *ascribi* constructum est cum praepositione *in* cum ablativo quam nostro, idque iam docet locativus ille *Athenis.* Quis autem non miretur lexicographos, qui ad comprobandam istam constructionem verbi *ascribendi* cum praepositione *in* cum ablativo talis afferant locos, quales hi sunt? *p. Caec.* 33, 95 *Ut ne longius abeam, declarat ista ascriptio, esse aliquid; nam, nisi esset, hoc in omnibus legibus non ascriberetur.* Nos diceremus *bei allen Gesetzen. ad Quint. Fr.* III, 1, 3, 8 *una pluribus verbis, in qua primum erat, quod antiquior dies in tuis fuisset ascripta litteris, quam in Caesaris.* Hos enim locos toto coelo differre ab is, quibus constructum est *ascribere* cum praepositione *in* cum accusativo, taedet significare modo. Quasi vero sanus quis, si legat *in tuis litteris saepe errasti* velit dicere, verbum *errandi* constructum esse cum praepositione *in.* Ceteroquin rectissime nostro loco dictum esse *aliis quoque in civitatibus* pro *in aliis quoque civitatibus,* alio loco docebo. Quod autem supra negavi, posse dici *ascribor in numero,* id verissimum esse, quis non intelligat? quamquam fuerunt, qui pravo iudicio similia probaverint, ut *p. Rosc. Am.* 32, 89 *Verum ego forsitan, propter multitudinem patronorum, in gregem annumerarer;* quo loco etsi codices aliquot hanc verissimam scripturam tuentur, tamen plerique editores cum ceteris codicibus scripserunt *in grege annumerarer,* quod vix Latinum esse optime iam perspexerunt Garatonius et Beckius, viri doctissimi, horumque rationem suo iure commendavit etiam Orellius.

Ibidem. *aut nulla aut humili aliqua arte praeditis.* Omisi hoc loco cum optimo codice Erfurtensi particulam *et,* quam ceteri addunt ante vocabula *aut nulla.* Voluit enim Cicero hoc dicere *mediocribus multis, qui aut nulla aut humili aliqua arte praediti erant.* Rectissime autem scripsit Cicero *aut nulla aut humili;* nam si prius *aut* omissum esset, haec fuisset sententia: multos homines nulla, aut saltem humili arte fuisse praeditos; de isdem igitur hominibus locutus esset Cicero. At voluit significare orator, alios nulla, alios humili aliqua arte praeditos fuisse. Quare duplex debebat poni *aut.*

Ibidem. *non gravate.* Quis non miretur novissimos editores, qui, cum in optimo codice Erfurtensi apertissima vestigia huius lectionis legantur, quae una Cicerone est di-

gna, tamen in ea lectione defendenda se exerceant, quam adhuc nemo ita potuit defendere, ut salva esset sententia. In omnibus enim, praeter Erfurtensem, codicibus legi videtur *gratuito*, quod alii satis mire existimarunt significare posse hoc loco *nullo eorum merito*; alii sic explicant, *ut nullus inde fructus neque ad se neque ad rempublicam redundaret*, quod verius esse ne quis credat. Nam profecto, qui aderant, si audissent haec verba *gratuito civitatem impertiebant*, quid aliud potuissent intelligere, nisi ita illos accepisse civitatem, ut pro ea nihil solverent, quod absurdum esse apud omnis constat? Tum, etiamsi sumamus, istud *gratuito* posse significare hoc loco *sine utilitate civium*, quod tamen vix poterit sumi, non minus absurdus fuisset, si id intelligi voluisset Tullius. Quomodo enim poterant, qui civitatem peregrinis impertiebant, respicere, utrum utilitatem ex ea re possent percipere, necne possent? Honoris quidem causa impertire poterant, non tamen utilitatis gratia. Archias igitur, quae eius erat ingeni gloria, ob hanc maxime causam dignior erat, qui ascriberetur in civitatem, quam scenici isti artifices. Nam si utilitatem quaerimus, quam civitati Archias afferret, ista nulla erat. An ut civium laudes celebraret, eosque oblectaret sermonibus facetis? Ne credas, Tullium de hac re cogitasse. Accedit, quod, si fuisset Tullius ita ineptus, ut negaret, potuisse istos homines utilitatem afferre civitati, non sane debebat praetermittere, ubi ad Archiam transiret, de utilitate loqui, quam Archias istis civitatibus praeberet. Sed nihil tale legitur, ac tantummodo opponitur summa ingeni gloria, qua Archias praeditus erat, istorum hominum mediocritati. Iam ex hac re igitur intelligitur, non cogitasse Tullium de isto vocabulo *gratuito*. Certe, ut defenderetur haec lectio, dicendum erat, hoc loco, ut interdum apud posteriores scriptores, illud *gratuito* significare *sine causa*, h. e. quia ingenio non excellebant. Sed quis credat, Tullium tali significatione hoc vocabulo usum esse, quae profecto sapit deteriorum scriptorum licentiam? Quo pacto autem corrigendum sit istud *gratuito*, plane ostendit Erfurtensis codicis lectio *vel gratuito gravat* (i. e. *gravate*). Apparet enim, scripsisse Tullium *non gravate*; sed cum casu in antiquo libro omissa esset particula negans, alii librarii retinuerunt illud *gravate*, alii, qui intellexerant, id ferri sic non posse, correxerunt *gratuito*, quod facillime fieri potuit propter scripturam *grauate*. Hoc modo duae oriebantur lectiones *gravate* et *gratuito*. Antiquus autem librarius non insolito errore alteram illam lectionem *gratuito*, quae, ut fit,

ita adiecta erat in margine libri, ex quo ipse transscribebat, ut scriptum esset *vel gratuito*, is igitur magno sane errore hanc quoque lectionem, margini adiectam, in Ciceronis orationem recepit, itaque ortum est in Erfurtensi istud *vel gratuito gravate*. Sed mirandum est in librariis etiam, quod, cum in suis libris legerent illud *gravate*, potius ineptam fecerunt correctionem *gratuito*, quam addita particula neganti, quae omissa erat, Tullio verissimam illam restituerent lectionem. Recepta enim lectione nego potuisse melius quicquam scribi a Cicerone. Nos diceremus *ohne viele Umstände*; ita plane *p. Balb.* 16, 36 *Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur: — — „qui erranti comiter monstrat viam,“ benigne, non gravate.* *d. Orat.* I, 48, 208 *cum vobis, non meo iudicio, sed vestro studio inductus, non gravate respondero.* *d. Off.* II, 19, 66 *multorum causas et non gravate, et gratuito defendentis beneficia et patrocinia late patent.* Tale quiddam autem, quale est *non gravate*, desiderari hoc loco, optime iam senserat Schroeterus, qui quidem, quamquam id satis mire, opinatus est, ipsum illud *gratuito* sine dubio apud declamatorem suum significare *libenter*, *comiter*, *haud difficulter*.

Ibidem. *impertiebant.* Non pauci codices, et praeter Lambinum editores omnes perperam hoc loco habent *impertiebantur*, quod Tullianum esse utique nego. Semper enim, non modo semper fere, sicut Orellius, qua est modestia, contendit, Cicero usus est activo, nunquam, nisi locis maxime dubiis, deponenti. Verissima est igitur lectio ceterorum codicum, ipsiusque codicis Erfurtensis, *impertiebant*. Nemo enim ignorat, quoties huius verbi activum mutatum sit a librariis cum deponenti, quamquam in optimis libris semper servata est vera lectio, velut *d. Div.* II, 17, 40 *Illius enim deus „nihil habens nec sui nec alieni negoti“ non potest hominibus divinationem impertire. Vester autem deus potest non impertire.* Quo loco Victorius et Davisius sine librorum auctoritate, ut videtur, bis scripserunt *impertiri*. *p. Mur.* 4, 8 *Neque enim iam mihi licet, neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam.* Sic plerique codices; pauci *impertiar*. *p. Syll.* 3, 9 *Oneris mei partem nemini impertio, gloriae bonis omnibus.* Unus codex *impertior*. *p. L. Man.* 8, 20 *ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertire laudis.* Sic codices multi et optima editio 1480; ceteri codices *impertiri*. *in Verr. A.* II, *l.* II, 21, 51 *tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impertire noluisti.* Sic rectissime plerique

editores, etiam Zumptius, cum codicibus optimis pro *impertiri*.

Ibidem. *irrepserunt*. Quod ego hoc loco ex duobus codicibus Oxoniensibus, et ex optimo codice Erfurtensi restitui indicativum, cum praeter editiones Venetam et Iuntinam omnes habeant coniunctivum, id meo iure me fecisse unicuique, opinor, persuadebo. Quis enim nescit, quam multis locis, ubi post coniunctionem *cum* talis a Tullio scriptus erat indicativus, is et olim a librariis et nunc ab hominibus criticis corruptus sit in coniunctivum, quamquam meliores libri etiam in hac re veriorem solent tueri lectionem? Tum enim post tale *cum* rectissime ponitur indicativus, si non causa afferenda est, cur aliquid fiat, sed si condicione aliqua de re loquimur, de qua apud omnis constat. Atque condicio in eo ipso posita est, ut sumatur, de illa re apud omnis constare. Nos ipsi eodem modo utimur nostra particula *wenn*, quare sic poterimus vertere hunc locum *Wie? wenn die andern nicht bloss nach ertheiltem Bürgerrechte, sondern sogar nach dem Papischen Gesetze auf irgend eine Weise sich in die Tafeln jener Municipien eingeschlichen haben: soll dieser, der sich nicht einmal derer bedient, in denen er aufgeschrieben ist, weil er stets ein Heraklienser sein wollte, zurückgewiesen werden?* Quamvis enim constet, illos irrepsisse in tabulas municipiorum, tamen, cum Tullius ipse illas tabulas non inspexisset, vix potuit dicere *cum — irrepserint*, sed potius loqui debebat hoc modo *cum — irrepserunt*, h. e. siquidem eos irrepsisse constat. Ita plane paullo ante in his verbis *Etenim cum mediocribus multis, aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis non gravate civitatem in Graecia homines impertiebant, Rheginos credo, aut Locrensis, aut Neapolitanos, aut Terentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic, summa ingeni praedito gloria, noluisse*. H. e. si quidem constat, homines impertisse. Multos autem alios locos, quibus eodem modo usurpata est coniunctio *cum*, attulerunt Wunderus ad Cic. *p. Planc.* 12, 29 (p. 101) et Ramshornius in Gramm. §. 183, 2, N. 2 (p. 768). Cf. etiam Klotzius ad Cic. *d. Senect.* 20, 75 (p. 155), qui rectissime de talibus locis disseruit.

Ibidem. *ne utitur quidem*. Hoc loco quamquam codices multi, optimus etiam Erfurtensis, atque editiones ante Hervagium omnes dicuntur habere *nec utitur quidem*, tamen verissimam esse pauciorum codicum lectionem *ne utitur quidem*, docebo in libro de vocabulis negantibus.

Ibidem. §. 11. *Census nostros requiris. Scilicet, est*

enim obscurum, proximis censoribus hunc cum clarissimo imperatore, L. Lucullo, apud exercitum fuisse. Sic rectissime, probante fere etiam Orellio, distinxerunt Lambinus et Ilgenius, quorum ratio ita est vera, ut mirere, quod nemo recentiorum editorum magis in utramque distinguendi rationem inquisivit. Vidissent profecto, alteram ne Latinam quidem esse. Atque hanc distinctionem confirmat etiam quodammodo scholiastes Ambrosianus, qui cum ad hunc locum de censu sit locutus, apposuit verba *Census nostros requiris*, non tamen cum his verbis iunxit *scilicet.* Omnis autem error hominum doctissimorum inde fluxit, quod opinati sunt, vocabulum *scilicet* posse significare quidvis, neque reputarunt, Latinos alio modo hoc vocabulo usos esse, atque recentiores. Etenim apud hodiernos homines *scilicet* significat et *nemlich*, et *freilich*, et *natürlich*, et *ohne Zweifel*, et *hoffentlich*, alia multa, omnibusque locis, in quibus modo aliqua insit ironia, recte usurpari posse putant *scilicet.* Sed nihil minus; sunt enim certi quidam fines, quibus usus istius vocabuli quasi terminatus est, et sive ironice, sive non ironice loquantur Latini, ad unam quandam notionem omnes loci debent ac possunt revocari. Atque omnibus quidem locis, et ironice et non ironice intelligendis, respondet vocabulo *scilicet* nostrum *wisse*, idque postulat profecto ipsa etymologia vocabuli, cum ortum sit, non, ut vulgo putant, ex infinitivo *scire* et *licet*, sed ex ipso antiquo imperativo *sci* et *licet*, ut *videlicet* ex *vide* et *licet*, atque *ilicet* ex *i* et *licet.* Tempore progrediente autem illud *scilicet* non modo usurpabatur, ubi unum aliquem aliquid scire iubebant Latini, sed etiam, ubi pluris. Quare nobis vertendum est aut *wisse* aut *wisset.* Atque simillimam praebet analogiam nostrum *siehe*, quod tum etiam usurpamus, cum pluris alloquimur. Fateor quidem, illud *scilicet* nostro sermone non posse semper verti *wisse*, non quin id significet, sed quia Latini, qua sunt in dicendo alacritate, saepius et melius tali vocabulo uti possunt, quam nostri homines frigidiores; sed quamquam hoc facile conceditur, tamen nos oportet omnibus locis, quibus scriptum videmus *scilicet*, substituere illud *wisse.* Id si facies mecum hoc loco, videbis, quam sit absurdum, coniungere *scilicet* cum verbis *Census nostros requiris.* Nam ut nos inepte loqueremur, si diceremus *Wisse, du verlangst die Schatzungstafeln*, sic absurdum est, quod editores Ciceroni voluerunt obtrudere *Census nostros requiris scilicet.* Nec enim aliter usurparunt aureae aetatis scriptores suum *scilicet*, nisi ubi eum, quicum loquuntur, scire iubent ea, quae di-

ctari sunt. Quare, si coniungere volebat Tullius hoc loco *scilicet* cum illis verbis, profecto scribendum erat *Census nostros requirit scilicet*, h. e. *Wisset, er verlangt unsre Schatzungstafeln*, ut referretur illud *scilicet* ad indices. At utique abstinendum est tali coniectura, quippe cum verissima sit illa Lambini et Ilgeni distinctio *Scilicet, est enim obscurum, hunc apud exercitum fuisse.* Tum vero ironia non est posita in vocabulo *scilicet*, sed in verbis *est enim obscurum*, a quibus quidem pendet accusativus cum infinitivo, quem apud Ciceronem non dixerim pendere a *scilicet*, ut factum est interdum apud poëtas, atque etiam apud Sallustium. Ita prorsus locutus est Cicero ad *Quint. Fr.* I, 3, 1 *Ego tibi irascerer? tibi ego possem irasci? Scilicet, tu enim me afflixisti, tui me inimici, tua me invidia, ac non ego te misere perdidi.* Alii fortasse etiam *d. Leg.* I, 13, 35 in verbis *Tu vero iam perpauca scilicet. Ex is enim, quae dixisti Attico, videtur mihi quidem certe, ex natura esse ius* distinguere maluerint hoc modo *Tu vero iam perpauca. Scilicet, ex is enim.* Non ego; nam optime possunt hoc loco coniungi verba, ironice sumenda, *Tu vero iam perpauca scilicet.* Nos diceremus *Wisse, dieses sehr wenige hast du schon gesagt.* — Operae tamen erit pretium, locos omnis afferre, quibus apud Tullium legitur *scilicet*, ut intelligas, meo iure istum me quasi terminum usus huius vocabuli constituisse. Apparebit autem, qui loci contra illam meam sint regulam, eos esse aperte corruptos. Cf. igitur *d. Nat. D.* II, 53, 133 *Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quae ratione utuntur.* *d. Div.* II, 19, 44 *Scilicet, si ista Iuppiter significaret, tam multa frustra fulmina non emitteret.* Sic verissime codices plerique, nec est Tullianum, hoc loco cum codicibus paucioribus, et editionibus omnibus omittere particulam negantem. Putarunt quidem librarii, qui omiserunt illam, atque etiam homines critici, qui id probaverunt, posse *scilicet* cum ironia quadam significare, quod nos dicimus *freilich.* At perperam. Locus vertendus est ita *Wisse, gäbe Iuppiter auf jene Weise Andeutungen, er würde nicht so viele Blitze umsonst verschleudern.* 51, 105 *Negat „id esse alienum maiestate deorum.“ Scilicet casas omnium introspicere, ut videant, quid cuique conducat.* 67, 140 *Haec scilicet in imbecillo remissoque animo multa omnibus modis confusa et variata versantur.* *d. Senect.* 8, 26 *Sed videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens aliquid et mo-*

liens, tale scilicet, quale cuiusque studium in superiore vita fuit. d. Off. II, 1, 3 *Cum autem respublica nulla esset omnino, illae scilicet litterae conticuerunt forenses et senatoriae.* Acad. II, 29, 95 *Quid igitur? haec vera, an falsa sunt? „Si te mentiri dicis, idque verum dicis, mentiris." Haec scilicet inexplicabilia esse dicitis.* 30, 96 *Quid enim faceret huic conclusioni? „Si lucet, lucet. Lucet autem; lucet igitur." Cederet scilicet.* d. Fin. I, 8, 28 *Nunc dicam de voluptate; nihil scilicet novi, ea tamen, quae te ipsum probaturum esse confidam.* II, 17, 54 *primum de eo quaerimus, qui animi conscientiam non curet, quam scilicet comprimere nihil est negoti.* 31, 102 *Et ego scilicet id nesciebam.* IV, 16, 43 *Sed alius alio magis, Pyrrho scilicet maxime.* 22, 62 *nisi istis alio tempore responsurus essem, tum scilicet, cum tibi.* V, 1, 3 *me species quaedam commovit, inanis scilicet, sed commovit tamen.* 20, 55 *Sunt autem etiam clariora, vel plane perspicua, nec dubitanda indicia naturae, maxime scilicet in homine.* 29, 88 *Hoc tu nunc in illo probas. Scilicet vocabulis rerum mutatis inconstantiae crimen ille effugit; nos effugere non possumus.* 31, 93 *Quis hoc dixit? Stoici scilicet.* Sic ex verissima Lambini coniectura novissimi editores, quamquam in codicibus legitur *Stoicis licet.* Tusc. II, 11, 27 *At vero nos, docti scilicet a Graecia, haec et a pueritia legimus, et discimus.* V, 39, 114 *Democritus luminibus amissis alba scilicet et atra discernere non poterat.* d. Rep. I, 38, 60 *illud vides, in animis hominum regale si imperium sit, unius fore dominatum, consili scilicet.* II, 37, 63 *Nota scilicet illa res et celebrata monumentis plurimis litterarum.* 42, 69 *Video, video iam illum, quem exspectabam, virum, cui praeficias officio et muneri. Huic scilicet, Africanus, uni pene.* d. Leg. I, 13, 36 *Et scilicet tua libertas disserendi amissa est.* d. Inv. I, 31, 52 *Quid? si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet.* d. Orat. II, 15, 63 *Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus.* 21, 89 *Quod iste arripuit, et ita sese facturum confirmavit, atque etiam addidit, gratiae scilicet causa, me quoque sibi magistrum futurum.* 54, 222 *Dicere enim aiunt Ennium „flammam a sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat" haec scilicet bona, quae salsa sint.* III, 13, 48 *Neque vero in illo altero diutius commoremur, ut disputemus, quibus rebus assequi possimus, ut ea, quae dicamus, intelligantur. Latine scilicet dicendo, verbis usitatis.* 22, 84 *Similiter nunc*

de oratore, vestro impulsu, loquor, summo scilicet. 32, 128 *Scilicet nimis hic quidem est progressus.* 43, 171 *Quid efficit? idem illud scilicet, ut ille voluit, et ego vellem, melius aliquanto, quam Albucius.* *Orat.* 34, 120 *Cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis.* 50, 169 *haec scilicet repudianda.* *p. Quint.* 26, 83 *corrigeres haec scilicet tu postea.* Nos diceremus *Wisse, du müsstest dies nachher wieder gut machen.* *p. Rosc. Am.* 46, 133 *quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum e multis splendidisque familiis in turba et rapinis coacervari una in domo potuit.* *p. Rosc. Com.* 1, 1 *Is scilicet vir optimus et singulari fide praeditus in suo iudicio tabulis suis testibus uti conatur.* 6, 18 *Ignotum hominem scilicet pluribus verbis commendo.* 10, 27 *Largitus est scilicet homo liberalis et dissolutus et bonitate affluens Fannius Roscio. — Sic puto.* Perperam hoc loco, ut aliis, quos infra commemorabo, editores post verba *Fannius Roscio* interrogationis signum posuerunt; quod iam per se fieri nullo modo potest, cum id non patiatur significatio vocabuli *scilicet.* Etiam sine interrogatione posse haec verba ironice intelligi, vix opus est commemorare. 16, 49 *Hunc posteaquam salutavit, rogare coepit, blande et concinne scilicet.* *in Verr. A.* II, *l.* I, 39, 101 *Homo scilicet aut industria aut opera probata, aut frugalitatis existimatione praeclara.* 58, 153 *Scilicet magno praesidio fuit Anniae pupillae mater, femina primaria.* *A.* II, *l.* II, 58, 142 *Consumetur, inquies. Scilicet exspectemus legitimum illud quinquennium.* *A.* II, *l.* III, 80, 187 *quae porro tua praefatio donationis fuit? Illa scilicet vetus atque imperatoria „Quandoque tu quid in proelio, in bello, in re militari“ cuius ne mentio quidem, te praetore, ulla facta est.* Perperam hoc quoque loco editores multi, non Zumptius, signum interrogationis post verba *atque imperatoria* posuerunt, quod quidem Tullianum esse nego. Verrem enim Cicero ita loquentem fecit *Illa scilicet vetus atque imperatoria,* contra quae Tullius ipse haec dicit *cuius ne mentio quidem, te praetore, ulla facta est.* *A.* II, *l.* IV, 12, 27 *Quaesivi, an misisset. Respondit id, quod necesse erat scilicet, dicto audientem fuisse praetori; misisse.* Sic utique erat distinguendum, non tamen *scilicet dicto audientem fuisse praetori,* quod non patitur significatio vocabuli *scilicet.* Quare nequaquam opus est cum Hotomanno et Schuetzio pro *scilicet* scribere *se,* aut cum Orellio *scilicet* pro glossemate habere. *A.* II, *l.* V, 13, 32 *Hic scilicet est metuendum, ne ad exitum defensionis tuae*

vetus illa Antoniana dicendi ratio atque auctoritas proferatur. *d. L. Agr.* II, 35, 96 *agros vero, Vaticanum et Pupiniam, cum suis opimis atque uberibus campis conferendos scilicet non putabunt.* Sic rectissime omnes codices, nec debebant recentiores editores eiicere particulam negantem. Nihil est enim opus ironia hoc loco. Similem criticorum errorem iam supra ad *d. Div.* II, 19, 44 notavimus. *p. Rab. Perd.* 5, 14 *Scilicet tibi graviorem dolorem patrui tui mors attulit, quam C. Graccho fratris.* *in Cat.* II, 9, 19 *Quibus hoc praecipiendum videtur, unum scilicet et idem, quod ceteris omnibus.* *p. Flacc.* 33, 81 *Scilicet defendam Decianum, qui tibi in suspicionem nullo suo delicto venit.* Sic rectissime Orellius cum antiquissimis editionibus, nec opus est coniectura, aut dubia lectione duorum codicum *Sed* pro *scilicet.* *p. Syll.* 24, 67 *Scilicet is sum, qui existimem, Cn. Pisonem, et Catilinam, et Vargunteium, et Autronium nihil scelerate, nihil audacter ipsos per sese sine P. Sylla facere potuisse.* *p. Planc.* 30, 72 *Scilicet homo sapiens cogitavi, quamobrem viderer maximis benefici vinculis obstrictus, cum liber essem et solutus.* *p. Sest.* 60, 127 *Vim scilicet ego desideravi, qui, dum vis fuit, nihil egi.* *in Vatin.* 3, 8 *Scilicet aspera mea natura, difficilis aditus, gravis vultus, superba responsa, insolens vita.* *in Pison.* 9, 20 *Quod mihi igitur certamen esset huiusmodi? Cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari. An cum altero, barbaro Epicuro, cum altero, Catilinae laternario, consule?* Sic debebat distingui; non quasi etiam illa *Cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari* cum interrogatione dicta fuerint a Cicerone. 12, 28 *Tu, scilicet homo religiosus et sanctus, foedus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluisti.* 25, 59 *Non facies fidem scilicet, cum haec disputabis.* *p. Mil.* 17, 46 *Sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire posset, omnes scilicet Lanuvini.* Non est, quod cum multis editoribus suspecta habeas haec ultima verba. 21, 57 *Cur igitur eos manumisit? Metuebat scilicet, ne indicarent.* *p. Rab. Post.* 12, 33 *Si per eum reductus insidiose redissem, me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem.* 13, 36 *Iam nostis insulsitatem Graecorum; humeris gestum agebant; tum temporis, credo, causa, nunc scilicet tempus nullum est.* *Philipp.* I, 10, 25 *Quas tu mihi, inquit, intercessiones, quas religiones? Eas scilicet, quibus reipublicae salus continetur.* II, 6, 14 *At ad quos refert? Dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt.* 9, 21 *At ego suasi. Scilicet is animus erat*

Milonis, ut prodesse reipublicae sine suasore non posset. VII, 1, 2 *Scilicet legatos ad eum misimus, non ut pareret huic ordini, sed ut condiciones ferret.* X, 8, 17 *Scilicet hoc Pansa aut non videt (hebeti enim ingenio est) aut negligit.* XIII, 16, 33 *Scilicet verba dedimus, decepimus.* ad Fam. I, 6, 1 *Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod valde suspicor, fore, ut infringatur hominum improbitas.* III, 7, 4 *Scilicet contempsi te, nec potest fieri me quicquam superbius.* VII, 23, 3 *Quod tibi destinaras τραπεζοφόρον, si te delectat, habebis; sin autem sententiam mutasti, ego habeo scilicet.* IX, 3, 2 *Sed quid ego nunc haec ad te, cuius domi nascuntur? γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Nihil scilicet, nisi ut rescriberes aliquid, me exspectares.* 6, 1 *Caninius noster me tuis verbis admonuit, ut scriberem ad te, si quid esset, quod putarem te scire oportere. Est igitur adventus Caesaris scilicet in exspectatione; neque tu id ignoras.* Sic optimus etiam codex Mediceus, quamquam non male editores quidam verba *Caesaris scilicet* tamquam glossema eiicienda esse putarunt. 21, 1 *Privatas causas, et eas tenuis, agimus subtilius; capitis aut famae scilicet ornatius, epistolas vero quotidianis verbis tenere solemus.* 23 m. *Tuli scilicet moleste, ut debui; sed tamen constitui ad te venire.* X, 26, 2 *Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima praetor fias.* XII, 3, 2 *Quid eos interpretari putas, cum hoc faciunt? Ad hostem scilicet portari.* 17, 2 *in quo saepe suspicatus sum te a iudicio nostro sic scilicet, ut doctum hominem ab non indocto, paullulum dissidere.* XIII, 26, 2 *Peto igitur a te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario.* 47 ext. *Illa nostra scilicet ceciderunt.* XV, 14, 3 *Unus scilicet animi fructus, qui in te videndo est, percipi litteris non potest.* 15, 1 *Ego autem ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam, ex reliquiis magnam.* ad Quint. Fr. I, 2, 3, 11 *Flavi causa, et scilicet Pompeii facies omnia.* 3, 5 *Sin eris ab isto periculo vacuus, ages scilicet, si quid agere posse de nobis putabis.* 4, 4 *si relevare potes communem casum misericordia hominum, scilicet incredibile quiddam assequeris.* II, 6, 7 *Id cupio, et, quamquam te ipsum scilicet maxime, tamen etiam litteras tuas ante exspecto.* 8, 2 *Idem te pueri nostri rogant, illud scilicet, coenabis, cum veneris.* 14, 2 *Maximae mihi vero curae erit, ut Ciceronem tuum nostrumque videam, scilicet quotidie.* et 3 *Tu, quemadmodum scribis, quod, etiamsi non scriberes, facere te diligentissime tamen sciebam, facies scilicet, ut mea*

mandata digeras, persequare, conficias. 15, 1 *Sed mihi crede, quem nosti, quod in istis rebus ego plurimi aestimo, id iam habeo: te scilicet primum tam inservientem communi dignitati.* III, 1, 1, 2 *Eas scilicet demolietur.* *ad Att.* II, 17, 3 *Quaeres scilicet, ut soles, κατὰ τὸ κηδεμονικὸν, et ad me ab eo quasi ὑποθήκας afferes, quemadmodum me geram.* 19, 4 *Noster autem Publius mihi minitatur, inimicus est, impendet negotium, ad quod tu scilicet advolabis.* IV, 5, 3 *Videtur commodius ad te, postridie scilicet.* 6, 1 *De Lentulo scilicet sic fero ut debeo.* et 2 *quo dolore esse debeo? quo sum scilicet, hoc etiam acriore, quod ne dolore quidem possum, ut non ingratus videar.* V, 2, 3 *Tu, qui scis, omnem diligentiam adhibebis, tum scilicet, cum id agi debebit.* VI, 2, 7 *Omni igitur modo egi cum rege et ago quotidie, per litteras scilicet.* 3, 4 *De urbanis rebus scilicet plura tu scis; saepius et certiora audis.* 7, 1 *Scilicet nihil est movendum.* VII, 1, 4 *Quis? Tu ipse scilicet, laudator et factorum et scriptorum meorum.* 3, 5 *Sic enim sentio, maximo in periculo rem esse. Vos scilicet plura, qui in urbe estis.* 5, 5 *Quid sentis igitur? inquis. Nihil scilicet nisi de sententia tua.* IX, 2 (*A*, 1) *Quanto nunc hoc idem accipiet asperius? Tanto scilicet, quanto et honos hic illo est amplior et ipse robustior.* 6, 4 *Ante sollicitus eram et angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, cum consilio explicare nihil possem.* XI, 7, 3 *Quamquam quid tu in eo potes? Nihil scilicet.* 15, 2 *Alii capti, alii interclusi non veniunt in dubium de voluntate, eo minus scilicet, cum se expedicrint et una esse coeperint.* XII, 1, 2 *Cum complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius, qua lecta de Atticae febricula scilicet valde dolui.* 6, 1 *Quo modo hoc ergo lues? Uno scilicet, si mihi librum miseris.* 18, 3 *De sorte mea Sulpicio confido et Egnatio scilicet* 27, 1 *nihil est scilicet, quod de Cotta cogitemus.* 38, 4 *nihil est scilicet emptori loci.* XIII, 1, 2 *Nec vero ullum genus possessionis est, quod malim, maxime scilicet ob eam causam, quae suscepta est.* 3, 1 *A te litteras exspectabam; nondum scilicet, nam has mane rescribebam.* 5, 1 *De Crispo et Mustela, scilicet cum quid egeris.* 10, 1 *Quid? tibi Servius quid videtur? Quamquam hoc nullam ad partem valet scilicet, mihi praesertim, qui non minus bene actum cum illis putem.* 20, 4 *Id ago scilicet, ut iudicia videar tenere;* et paullo inferius *Non licet scilicet sententiam suam.* 28, 1 *Hortos quoniam hodie eras inspecturus, quid visum tibi sit, cras scilicet.* 31, 4 *Omnia*

scilicet nunc minoris. 39, 2 *Romam, ut censes, veniam, sed invitus. Valde enim in scribendo haereo. Brutum, inquis, eadem scilicet* (intel. proficisci iussi). *Sed nisi hoc esset, res me ista non cogeret.* Sic rectissime verba, quae in codicibus leguntur, distinxit Bosius cum secutis editoribus praeter Orellinm. Satis autem mirari non potui, cum viderem, Orellium cum Manutio et Lambino distinxisse hoc modo *Brutum, inquis, eadem. Scilicet. Sed nisi hoc esset, res me ista non cogeret.* Quid putaverint homines doctissimi tale *scilicet* posse significare, scirem. Etenim si cum sequentibus Cicero coniungere voluisset illud *scilicet*, scribere profecto debebat, sicut Lambinus legi primo voluerat *Scilicet, nisi hoc esset, res me ista non cogeret*, omissa particula *sed.* Atque haut scio an scripserit ita Tullius, cum facillime ex compendio vocabuli *scilicet* oriri potuerit istud *sed.* Melius quidem sic cum sequentibus, quam cum prioribus coniungeretur *scilicet*, quamquam non erit necessaria haec correctio. 49, 1 *Non laboravi scilicet, nec hominis alieni iniustissimam iracundiam mihi curandam putavi.* XIV, 7, 1 *A te scilicet nihil.* 8, 2 *Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, vehementer exspecto. Ea scilicet tu declarabis, qui cetera.* 10, 2 *Hos tu existimas confidere se illa habituros, stantibus nobis, in quibus plus virtutis putarunt, quam experti sunt? Pacis isti scilicet amatores, et non latrocini auctores.* Temere multi editores post *auctores* interrogationis signum posuerunt, quod Tullianum esse saepe iam negavi. Potest enim ac debet sine interrogatione talibus locis intelligi ironia. 14, 6 *omni ope atque opera enitar, adiuvante me scilicet auctoritate tua et gratia et summa aequitate causae, ut de Buthrotiis senatus consultum, quale scribis, fiat.* XV, 1, 3 *Non poterat scilicet negare, se velle pacem.* 13 5 *Vettienum accusat; tricatur scilicet, ut homo talis.* 15, 4 *Scilicet Eros numerabit.* 25 *m. Meus animus est aequus, sic tamen, ut si nihil offensionis sit; et tu etiam scite, quo die olim piaclum, mysteria scilicet.* 26, 1 *Rescripsi scilicet primum, me iam profectum, ut non integrum sit.* XVI, 6, 1 *Ibi tamquam domi meae scilicet.* — His omnibus locis igitur una illa perspicitur significatio *wisse, wisset*, quam etiam necesse esse haberet *scilicet*, ipsa vocabuli docebat etymologia. Sequebatur autem ex eadem illa vocabuli significatione, non posse id locis, quibus interrogatur, usurpari, in qua re non raro vidimus peccasse editores.

Nondum tamen eos attigi locos, quibus aut manifestum est glossema *scilicet*, aut alio quodam errore illud illatum

est in Ciceronis orationem. Atque annotavi mihi omnino octo locos, quibus unicuique, opinor, persuadebo, ex corruptela illud ortum esse. Mirum autem debet videri nemini, quod tot sint loci apud Ciceronem, quibus ex corruptela ortum esse contendam illud vocabulum, cum adhuc nemo, quod sciam, operae habuerit pretium, in omnis inquirere locos, regulam indagare, secundum quam usurpatum sit vocabulum, secernere locos, qui repugnent isti regulae. Nam propter inveteratum illum errorem, quo putare solebant homines docti, *scilicet* posse significare quidvis, tamdiu multi loci pro incorruptis habiti sunt. — Pro glossemate autem habendum est *scilicet* his tribus locis *Topic.* 11, 50 *Ab adiunctis autem posui equidem exemplum paullo ante, multa scilicet adiungi, quae suscipienda essent, si statuissemus, ex edicto secundum eas tabulas possessionem dari.* Quo loco rectissime Boëthius cum tribus codicibus Oxoniensibus, non improbante Orellio, omisit istud *scilicet*, quod sic nequaquam est Tullianum. Omissum est etiam in optimo codice Erfurtensi vocabulum molestissimum. Apparet autem, librarium Germanicum, qui desiderabat suum *nemlich*, explicationis causa addidisse illud *scilicet.* Sed Latini homines talibus locis se omnibus abstinuerunt particulis. Porro 17, 63 *Cum enim nihil sine causa fiat; hoc ipsum fortunae eventus, obscura causa, scilicet latenter efficitur.* Sic Orellius, sed uncinis incluso vocabulo *scilicet.* Verum ex codice Erfurtensi locus sic restituendus est *Cum enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum est fortunae eventus: obscura causa, quae latenter efficiat.* Nos verteremus *Denn obgleich nichts ohne Grund geschieht, nennt man doch gerade dies, ich meine den unerkannten Grund, welcher im Verborgenen wirkt, den Erfolg des Zufalls.* Apparet vero, quam facile in hunc locum irrepere potuerit istud *scilicet*, quod in paucis tantummodo legi videtur codicibus. Quod autem Schuetzius offensus est in neutro *hoc ipsum*, cum sequatur masculinum *eventus*, pro quo scripsit *eventum*, id temere factum est. Simili modo locutus est Livius II, 38 *ext. si hoc profectio, et non fuga est.* Iam vero non dubium glossema est *scilicet ad Fam.* VII, 1, 1 *nobis autem erant ea perpetienda, quae scilicet Sp. Maecius probavisset.* Sic enim *scilicet* prorsus redundaret; certe dicendum erat *nobis autem erant ea scilicet perpetienda, quae Sp. Maecius probavisset.* Unus autem praeterea Orellius in hoc loco offensus est, non quod de significatione vocabuli dubitasset, sed ob lectionem codicis Medicei *scilicet P. Maecius.* Ingeniosa est enim ac verissima viri doctissimi suspicio, libra-

rium, qui scripserit codicem Mediceum, pro more suo nomina per compendia scripta explicandi, ex Sp. Marcius fecisse *scilicet P. Maecius.* His tribus igitur locis vel apertissimum est glossema *scilicet.* Non minus eiiciendum erit *scilicet d. Div.* II, 21, 47 *Quam scite per notas nos certiores facit Iuppiter! „At eodem tempore signum Iovis collocabatur, quo coniuratio indicabatur.“ Et tu scilicet mavis, numine deorum id factum, quam casu, arbitrari?* Non est enim sic Tullianum istud *scilicet,* quod corruptum esse, mihi persuasi, quemadmodum autem ortum sit, non curo. Exsistent sine dubio, qui illud ortum esse contendent ex proximo *scite.* Deinde *Acad.* II, 27, 87 *Etiamne hoc affirmare potes, Luculle, esse aliquam vim cum prudentia et consilio scilicet, quae finxerit, vel, ut tuo verbo utar, quae fabricata sit hominem?* Quid opinati sint homines docti, posse significare tale *scilicet,* profecto nescio; sed quis non videat, istud molestissimum *scilicet,* in quo iam propter interrogationem debebas offendere, ortum esse hoc loco ex ultimis syllabis proximi vocabuli *consilio?* perinde atque *in Pis.* 9, 19 *Ego istius pecudis ac putridae carnis consilio scilicet aut praesidio niti volebam? ab hoc eiecto cadavere quicquam mihi aut opis aut ornamenti expetebam?* Utique delendum *scilicet,* ortum eodem modo atque loco proximo. *in Verr.* A. II, *l.* I, 54, 142 *Locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur; ego me refecturum esse dico; probatio futura est tua, qui locas; praedibus et praediis populo cautum est; et, si non putas cautum, scilicet tu praetor in mea bona, quos voles, immittes? me ad meas fortunas defendendas accedere non sines?* Scribendum est pro *scilicet* sine dubio *esse,* quod facillime propter compendium ita poterat legi. Denique *p. Mur.* 20, 42 *Ipse* (Murena) *autem in Gallia, ut nostri homines desperatas iam pecunias exigerent, aequitate diligentiaque perfecit. Tu* (Sulpicius) *interea Romae scilicet amicis praesto fuisti. Fateor; sed tamen illud cogita, nonnullorum amicorum studia minui solere in eos, a quibus provincias contemni intelligant.* Nescio quid putasse videntur editores hoc loco significare istud *scilicet.* Nempe *freilich.* Delenda sunt autem sine ulla dubitatione verba *Romae scilicet,* quae orta esse ex glossemate librari, quis non videat? Cf. *ad Fam.* IX, 6, 1. — Verum quidem haec hactenus; alio tempore disputandum erit de usu vocabuli *videlicet.*

Ibidem. *Sed quoniam census non ius civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se iam tum gessisse pro cive.* Cum Lambinus hoc loco prorsus

delevisset particulam *ita*, Orellius ita istam hominis doctissimi rationem probavit, ut uncis incluserit particulam. Quod temere factum esse, nuperrime ostendit Klotzius in *Quaest. Tull.* I, p. 125, qui quidem rectissime contendit, Ciceronem propterea, ut magis illud, quod ante dictum esset, legenti adhaeresceret, adiecisse istam particulam, qua illud breviter repeteret. Verissimum est igitur, quod idem dixit, maius quoddam in hac particula situm esse pondus; nam hac particula breviter id significatum est, quod non erat necesse pluribus exponere, quia de ipsa re modo locutus erat orator, et sane inconcinnum fuisset, si idem illud verbis repetisset isdem. Nos pro tali *ita* diceremus *insofern*, h. e. *insofern*, *als er geschätzt ist*. Similem usum tractavimus supra 4, 6 in pronomine *id*, quod ita usurpatum erat, ut ea illo continerentur, de quibus modo erat dictum. Neque tamen similis est locus, qui amicissimo Klotzio ansam dedit de nostro loco disputandi, in *Tusc.* IV, 38, 82 *Etsi enim omnis animi perturbatio gravis est, nec multum differt ab amentia, tamen ita ceteros, cum sunt in aliqua perturbatione aut metus, aut laetitiae, aut cupiditatis, commotos modo aut perturbatos dicere solemus: at eos, qui se aegritudini dediderunt, miseros, afflictos, aerumnosos, calamitosos.* Tantum abest enim, ut etiam isto loco, id quod existimavit Klotzius, particula *ita* id, quod ante iam pluribus explicatum erat, breviter in memoriam redigat, ut pertineat ad verba sequentia *cum sunt in aliqua perturbatione*. Respondent sibi enim *ita* — *cum*, *insofern* — *als*. Totum igitur locum sic vertemus *Denn obgleich jede Verwirrung des Geistes lästig, und nicht viel von Verrücktheit verschieden ist, so pflegen wir dennoch andre insofern, als sie entweder aus Furcht, oder aus Freude, oder aus Begierde sich in irgend einer Verwirrung befinden, nur bewegt oder verwirrt zu nennen: dagegen diejenigen, die sich dem Kummer hingegeben haben, unglücklich, niedergeschlagen, bejammernswerth, elend.* Ita plane *Brut.* 62, 222 *Nam M. Drusum, tuum magnum avunculum, gravem oratorem ita dumtaxat, cum de republica diceret, abducamus ex acie.* Nos diceremus *der nur insofern sich als kräftigen Redner zeigte, wenn er über Staatsangelegenheiten sprach.* Differt igitur aliquantulum, utrum dicatur *ita* — *cum*, an *tum* — *cum*. Atque omnium saepissime tale *ita* usurpatum est a Cicerone, ubi sequitur coniunctio *si* aut *ut*; velut *d. Off.* I, 9, 28 *Nam hoc ipsum ita iustum est, quod recte fit, si est voluntarium.* H. e. *insofern* — *wenn*. Sic

Acad. II, 7, 19 *Meo autem iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt ac valentes, et omnia removentur, quae obstant et impediunt.* *d. Leg.* II, 10, 26 *Nam a patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi.* Deinde ubi dictum est *ita — ut, unter der Bedingung — dass;* velut *d. Amic.* 1, 1 *Ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam, sumpta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere nunquam discederem.* Nos diceremus *mit der Anweisung — dass.* Eodem modo 5, 19 *Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnis esset societas quaedam.* *d. Off.* I, 29, 103 *Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur.*

Ibidem. *is temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem iudicio eum in civium Romanorum iure esse versatum.* Locum mire vexatum ab hominibus criticis omnium primus recte explicavit Matthiaeus, qui quidem per attractionem ita dictum esse contendit pro *quibus eum ne ipsius quidem iudicio in civium Romanorum iure esse versatum, tu criminaris.* Nam praemissis, inquit, verbis *tu criminaris* ad hoc retulit orator, quod cum verbis *eum esse versatum* coniungi oportuerat. Defendit quidem rectissime Matthiaeus locum, veruntamen miror, quod non habuisse videtur operae pretium, similis ex Ciceronis operibus afferre locos, praesertim cum in hac re tot editores vidisset haesisse. Simillimi sunt autem loci hi *p. Planc.* 21, 52 *Quae tibi ultro pater et maiores tui non consolandi tui gratia dicent, neque vero, quo te liberent aliqua culpa, quam tu vereris, ne a te suscepta videatur.* Per attractionem pro *quae ne a te suscepta videatur, tu vereris.* *ad Att.* I, 13, 4 *Tuus autem ille amicus, de quo tu ad me scripsisti, posteaquam non auderet reprehendere, laudare coepisse, nos, ut ostendit, admodum diligit, amplectitur; amat, aperte laudat.* Per attractionem pro *quem tu ad me scripsisti laudare coepisse.* Cf. *Tusc.* III, 15, 31 *Hic est enim ille vultus semper idem, quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate, eodem semper se vidisse exeuntem illum domo et revertentem.* Poteris dicere, hunc quoque locum per attractionem scriptum esse pro *quo eodem semper se vidisse virum suum Socratem exeuntem domo et revertentem, dicitur Xanthippe praedicare solita fuisse in illo.* Sed alio quodam modo Klotzius loco laudato nostrum locum, et in *Quaest. Crit.* I, p. 9 etiam ultimum, quem laudavimus, locum ex *Tusc.* studuit explicare. Potius enim epexegesin, quam attractionem his locis

sibi videtur agnoscere; nec ego repugno, quod attinet ad locum in *Tusc.*, qui per epexegesin fortasse melius explicabitur, quam per attractionem.

Ibidem. *et testamentum saepe fecit nostris legibus.* Ad hunc locum haec annotavit doctissimus scholiastes Ambrosianus: „A partibus ad totum. Rebus gestis quam plurimis Archiam signa edidisse civis Romani, quae non poterat habere peregrinus.“ Verum igitur vidit Ballhorn-Rosenius apud Moebium ad hunc locum, qui haec testamenta, quae fecit Archias, habenda esse contendit pro testamentis in procinctu.

Ibidem. *a L. Lucullo, proconsule.* Hanc verissimam Graevi coniecturam, receptam iam a Schmiedero, probatam ab Ernestio et Netschero, commendatam ab Orellio, praeclare confirmavit optimi codicis Erfurtensis lectio *praetore consule*, omissa particula *et*, quae in ceteris omnibus legi dicitur. Nam cum compendium vocabuli *proconsulis*, ut constat, fuerit PRCONS, *praetoris* autem P. R., nemo sane dubitabit, quin lectio codicis Erfurtensis P. R. CONS confirmet illam coniecturam, quae hoc loco est certissima. Nam etiamsi constet, Lucullum, si fuerit *consul*, etiam esse debuisse *praetorem*, *praetorem*que et *consulem* interdum usurpatum esse pro *propraetore* et *proconsule*, tamen neque Latinum, et ineptissimum fuisset, si dixisset Cicero *a L. Lucullo praetore et consule.* Non fuisset Latinum propterea quod, sive voluisset significare Cicero, Lucullum non solum praetorem, verum etiam consulem fuisse, sive, bis esse delatum Archiam in beneficiis ad aerarium, semel a Lucullo praetore, iterum a consule Lucullo, utique scribendum fuisset *et praetore et consule* aut saltem *praetore atque consule.* Ineptissimum fuisset autem, sive hoc loco voluisset commemorare orator, Lucullum non solum fuisse *praetorem*, sed etiam *consulem*, sive significare, bis Archiam delatum esse ad aerarium; nec vero cuiquam veniet in mentem, probare asyndeton *praetore consule.* Est igitur certissima Graevi coniectura *proconsule*, confirmata fere lectione codicis optimi.

Ibidem. *si quae potes.* Quod ex codice Erfurtensi pro *si qua* recepi *si quae*, in eo me reprehendet nemo, qui modo compertum habeat, hanc formam pleniorem, toties a librariis atque criticis corruptam, ibi a Latinis esse positam, ubi notio ipsius rei, ad quam referebatur, erat urgenda. Quare si scripsisset hoc loco Cicero *si qua*, id prorsus fuisset perversum, quia tum non modo de argumentis cogitandum fuisset,

quae ad revincendum Archiam pertinerent, sed quaelibet argumenta potuissent intelligi. Sic igitur differt *si qui*, *si qua* a *si quis*, *si quae*, et pluralis *si qua* a *si quae*, ut illae formae magis sint, ut ita dicam, *universae* atque *incertae*, hae *speciales* atque *certae*. Hoc discrimen, iam per se minime absurdum, confirmatur plane a libris optimis. Cf. *ad Fam.* I, 4, 2 *Nemo est enim, qui nesciat, quominus discessio fieret, per adversarios tuos esse factum: qui nunc populi nomine, re autem vera sceleratissimo latrocinio, si quae conabuntur agere, satis mihi provisum est, ut ne quid salvis auspiciis aut legibus aut etiam sine vi agere possint.* Sic rectissime Mediceus; nam si scriptum esset *si qua*, id nimis fuisset vagum, atque intelligi potuissent et bonae et malae res; cum autem de *certa* quadam re, de latrocinio, paullo ante locutus sit scriptor, atque de malis rebus cogitaverit, cum scriberet *si quae conabuntur agere*, ea profecto debebat uti forma, qua semper *certum* aliquid designatur. II, 12, 1 *Sed tamen nihil me magis sollicitabat, quam in his molestiis non me, si quae ridenda essent, ridere tecum: sunt enim multa; sed ea non audeo scribere.* Sic optime Mediceus, de *certis* enim rebus cogitasse Ciceronem, apparet ex verbis *sunt enim multa; sed ea non audeo scribere.* V, 8, 3 *Si quae interciderunt non tam re quam suspicione violata, ea, cum fuerint et falsa et inania, sint evulsa ex omni memoria vitaque nostra.* Perperam multae editiones contra Mediceum *si qua* pro *si quae*, quod verissimum est; cogitavit enim de *certis* quibusdam rebus, scilicet de rebus, quas paullo post falsas atque inanis fuisse narrat. *ad Att.* XVI, 5, 2 *Quamobrem etsi magis est, quod gratuler tibi, quam quod te rogem, tamen etiam rogo, ut, si quae minus antea propter infirmitatem aetatis constanter ab eo fieri videbantur, ea iudices illum abiecisse.* Sic rectissime Mediceus, perperam Lambinus, ut solebat facere, pro *si quae* scripsit *si qua*. Nam res *certae*, de quibus cogitavit Cicero, eae ipsae sunt, quae minus antea a Quinto constanter factae erant. — Contra in epistola Coeli ad Ciceronem *ad Fam.* VIII, 13, 1 *Gratulor tibi affinitate viri medius fidius optimi; nam hoc ego de illo existimo. Cetera porro, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit, et aetate iam sunt decussa, et consuetudine atque auctoritate tua, pudore Tulliae, si qua restabunt, confido celeriter sublatum iri.* Sic rectissime Mediceus; nam debebat significare Coelius, sperare sese, nulla restare. — Cf. porro, quod ad singularem attinet, *ad Fam.* II, 6, 1 *Ego, si mea in te essent officia solum, Curio,*

6 *

tanta, quanta magis a te ipso praedicari quam a me ponderari solent, verecundius a te, si quae magna res mihi petenda esset, contenderem. Sic verissime codex Mediceus; iam enim Cicero in animo habet omnium illud maximum, maximeque necessarium, quod paullo post petit a Curione. V, 12, 8 *Quod si a te non impetro, hoc est, si quae te res impedierit, cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et clarorum virorum.* Male nonnulli editores *si qua* contra Mediceum; nam de *certis* impedimentis, scilicet de magnis oneribus susceptarum rerum et iam institutarum, cogitasse hoc loco Ciceronem, id sequitur ex paragrapho secunda huius epistolae. XI, 12, 2 *Sed tamen providendum est, ne quae iusta querela esse possit.* Sic optime Mediceus pro *ne qua*. Significare voluit enim Cicero, videri iustam esse istam hominum querelam *opprimi potuisse Antonium, si celeritas adhibita esset.* XVI, 10, 1 *Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis, si quae culpa commissa est.* Pessime plerique editores *si qua* contra Mediceum. Nam non ex quavis culpa exsistere solent graves corporis offensiones, non ex ea culpa, quae potius ad animum quam ad corpus pertinet; de ea autem culpa cogitavit Cicero, quam contra corpus potuit committere Tiro, si proficisceretur. Ea igitur usurpanda erat forma, quae semper ad *certum* aliquid refertur. *ad Att.* VIII, 11, D, 6 *te quaerebam, tecum esse cupiebam; neque eius rei facultatem, si quae erit, praetermittam.* Sic rectissime Mediceus, quamquam praeter Orellium omnes editores habent *si qua.* Nam non de qualibet facultate hoc loco cogitavit Cicero, sed de *certa* quadam, de ea scilicet facultate, ut esse posset cum Attico. XVI, 9 *m. Vereor, ne valeat Antonius, nec a mari discedere licet, et metuo, ne quae ἀριστεία me absente.* Sic Mediceus aptissime; cogitat enim Cicero de ἀριστείᾳ Antoni. Sin dixisset *ne qua*, id perversum fuisset; nam tum de cuiusvis ἀριστείᾳ potuisset cogitari. — Contra *ad Att.* IV, 2, 4 *cum sententiae gravissimae dicerentur: senatui placere, mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi; si qua vis esset facta, senatum existimaturum eius opera factum esse, qui senatus consulto intercessisset: Serranus pertimuit.* Sic praeclare Mediceus pro *si quae*, ut hoc loco plerique habent editores. Nam de nulla *certa* vi hoc loco cogitatur, neque potuit sciri, quis potissimum hanc vim faceret, quod potuit facere quivis. Ineptum est igitur hoc loco *si quae.* *in Verr. A.* II, *l.* V, 58, 149

Si qui rex, si qua civitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in civis Romanos eiusmodi, nonne publice vindicaremus? Hoc loco deteriores libri, atque cum his non recte Zumptius, pro *si qui*, quod in optimis codicibus Regio et Leidensi legitur, habent *si quis*, ad unum omnes tamen utroque loco *si qua*, nullus *si quae*. Et verissime; nam hoc loco non de *certo* quodam rege, aut *certa* civitate, natione cogitavit Cicero, sed voluit dicere, fuisse Romanos vindicaturos, quicunque rex, quaecunque civitas aut natio tale quiddam in civis commisisset Romanos. — Atque eodem modo differre *si quis* et *si qui*, apparebit ex exemplis, nec credendum est eis, qui contendunt, Latinos dixisse *si quis*, *si qua* et *si qui*, *si quae*. Hos enim induxit similitudo pronominis relativi *qui*, *quae*, neque hi reputarunt, formas illas encliticas *si qui*, *si qua* eam ipsam ob causam, quod sunt encliticae, abiecisse litteram ultimam. Cf. *ad Fam.* XIV, 2, 1 *Noli putare me ad quemquam longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere.* Sic optime Mediceus; voluit autem significare Tullius, *certum* quendam hominem nuper plura ad se scripsisse. Perversum fuisset igitur *si qui*. — Contra in epistola Vatini *ad Ciceronem* apud Cic. *ad Fam.* V, 9, 1 *Scis meam fortunam nescio quomodo facile obtrectatores invenire, non meo quidem, mehercules, merito; sed quanti id refert, si tamen fato nescio quo accidit! Si qui forte fuerit, qui nostrae dignitati obesse velit, peto a te, ut tuam consuetudinem et liberalitatem in me absente defendendo mihi praestes.* Rectissime sic Mediceus; est enim *si qui*, *quicunque erit*; non igitur cogitat de *certo* quodam homine. III, 8, 6 *Illud dicam, ut sentio: si ista, quae alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa culpa est; sin autem alii tecum haec loquuntur, tua tamen, quod audis, culpa nonnulla est. Mea ratio in tota amicitia nostra constans et gravis reperietur. Quod si qui me astutiorem fingit, quid potest esse callidius, quam nunc committere me, ut tu iure optimo me absentem deserere posses?* Sic praeclare Mediceus; nam cum multi improbi male de Cicerone locuti sint, rectissime dicit *si qui*, h. e. *si qui*, *quicunque erit*. Suo iure autem paullo post scripsit *Si quis*, non *Si qui*, cogitat enim de Clodio. X, 17, 2 *Quod si qui vestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem.* Sic Mediceus; est autem *si qui*, *quicunque erit*. *ad Att.* II, 14, 2 *Occasionem mirificam, si qui nunc, dum hi apud me sunt, emere de me fundum Formianum velit!* Sic Mediceus; non autem *certus*

est homo, de quo cogitavit Tullius. IV, 10, 1 *Sed de illa ambulatione fors viderit aut si qui est, qui curet, deus.* Sic rectissime Mediceus ab altera manu; est enim *si qui, quicunque erit.* Non potuit autem de *certo* quodam deo cogitare. — Quodsi hoc tenebimus discrimen, ab optimis quibusque libris confirmatum, non erit obscurum, cur in prooemio nostrae oratiunculae in omnibus codicibus scriptum sit *si qua exercitatio*, ac non *si quae exercitatio.* Nam ut loco modo laudato verba *si qui deus* non de *certo* quodam deo, sed ita debebant explicari *si qui deus*, *quicunque erit*, sic manifesto in illis *si qua exercitatio* inest sententia haec *si qua exercitatio, quantulacunque est.* Locutus est enim Cicero, qua erat modestia, sic de sua dicendi exercitatione, quasi non esset *certa* et quasi posset dubitari de ea, quod idem significaverat illa verborum collocatione *Si quid est in me ingeni* pro *Si quid in me ingeni est.* — Vel maximus est igitur eorum error, qui putant, sine notionis discrimine dictum esse *si quis* et *si qui*, *si quae* et *si qua* (sing.), *si quae* et *si qua* (plur.), cum propter optimorum codicum auctoritatem de discrimine, quod posuimus, utique non possit dubitari. Illud dolendum est nuperrime contendisse Orellium ad Cic. *in Verr. A.* II, *l.* V, 58, 149, qui propterea, ut opinor, id contendit, quod de hac re miras apud Ramshornium viderat turbas, qui quidem vir doctissimus codicum auctoritatem plane non curavit. Quis autem non miretur, eam attulisse Orellium causam, cur non sibi posset persuadere, esse notionis discrimen inter has formas, quod discrimen per se in nominativo sing. gen. neutr., in casibus obliquis *si cuius* cet. et in nominativo plur. generis masc. et fem. locum non haberet? Quasi vero potuerint Latini, ut encliticum redderent *si cuius*, *si cui*, *si quem*, dicere *si cuiu*, *si cu*, *si que!* Constat vero, formas *qui* (sing.) et *qua* (sing. et plur.) non aliter inveniri, nisi si coniungantur cum *si*, *nisi*, *ne*, nec id fortuito. Nam si istae formae non sunt usurpatae, nisi ubi rem *incertam* ac *generalem* potius quam *specialem* esse significare voluit scriptor, tantum profecto iunctae inveniri possunt cum illis coniunctionibus. — Pleniorem autem formam vocabuli indefiniti *quis*, *quae*, *quid*, praeterquam quod ea cum coniunctionibus istis tum coniungitur, cum rem, de qua loquitur scriptor, *certam* quandam atque *specialem* esse vult indicare, apud optimos scriptores saepissime quidem post relativa, tamen aliis quoque locis inveni, quibus ideo non possunt inveniri formae curtae, quod res, de qua ibi cogitatur, semper est *certa* quaedam. Cf. *d. Fin.* V, 10,

29 *Quare quotiescunque dicetur male de se quis mereri, intelligatur aliquam subesse eiusmodi causam, ut ex eo ipso intelligi possit, sibi quemque esse carum.* Tali loco nemo unquam scriptor dixit *qui* pro *quis*, idque rectissimo indicio. Ac velim recte intelligatur quod dixi his locis *quis* esse *certum* quendam, non quo cogitaverint tum Latini de Sempronio aut Titio, sed quia, ut statim illo utar exemplo, *multi saepe audiebantur dici male de se mereri. Certa* est enim quodammodo quaevis res, quam fieri docet experientia, et cum ibi, ubi post relativum ponitur *quis*, dici soleat de re, quae solet fieri, apparet, pleniorem illam formam vocabuli indefiniti talibus locis servasse suam propriam notionem. Atque quod de hoc uno loco dixi, id cadit in locos omnis, quibus post relativa legitur illud vocabulum. Sic *d. Div.* II, 52, 107 *Item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare, potest autem, cum quis divinationem habeat, errare aliquando nec vera cernere, satis est ad confirmandam divinationem, semel aliquid ita esse divinatum, nihil ut fortuito cecidisse videatur. d. Off.* I, 10, 32 *Iam illis promissis standum non esse quis non videt, quae, coactus quis metu, quae deceptus dolo promiserit?* Innumeris aliis locis. Porro eadem notione interdum usurpatum invenitur *quis*, ubi neque coniunctiones illae, neque relativa praecedunt; velut *d. Off.* III, 19, 76 *Non igitur faciat, dixerit quis, quod utile sit, quod expediat?* Nam *certus* est quodammodo ille *quis*, quia saepe homines ita loqui solent. Ita plane 28, 102 *Quid est igitur, dixerit quis, in iure iurando? d. Div.* I, 32, 71 *potest autem quis, cum divinationem habeat, errare aliquando nec vera cernere: satis est ad confirmandum divinationem, semel aliquid esse ita divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur.* Est profecto certus ille *quis* ex sententia Cratippi, quia significare vult, quicunque habeat divinationem, eum aliquando errare. *d. Nat. D.* I, 24, 66 *hanc tu opinionem, C. Vellei, usque ad hanc aetatem perduxisti, priusque te quis de omni vitae statu, quam de ista auctoritate deiecerit.* Videtur Cicero de se ipso cogitasse, cum hoc loco diceret *quis.* — Sequitur, ut eos attingamus locos, quibus *quis* pro *quisquam* positum esse videtur; velut *d. Div.* II, 60, 125 *Nec enim ignorare deus potest, qua mente quisque sit, nec frustra ac sine causa quid facere dignum deo est.* Nos diceremus *und nicht ist es eines Gottes würdig, in dem bestimmten Falle, wo er etwas thut, etwas vergeblich und ohne Grund zu thun. Certum* est igitur quodammodo illud *quid*, quia deus aliquando aliquid debet facere. Sic

d. Fat. 4, 7 *Tamen neque illud tenue coelum efficiet, ut aut Zenonem quis aut Arcesilam aut Theophrastum audiat.* Nam multi saepe Zenonem ceterosque audierunt. *d. Senect.* 23, 83 *quo quidem me proficiscentem haut sane facile quis retraxerit nec tamquam Peliam recoxerit.* Suo iure scripsit Cicero *quis*; recordatur enim, a Medea quodammodo retractum atque recoctum esse Peliam vel potius Aesonem, atque negat, si sibi quoque illud promitteret Medea, sese accepturum esse. *d. Off.* III, 6, 30 *Non igitur magis est contra naturam morbus aut egestas aut quid eiusmodi quam detractio atque appetitio alieni.* De *certis* quibusdam cogitat rebus, ut de *fame, dolore,* similibus. *d. Fin.* III, 21, 71 *Ius autem, quod ita dici appellarique possit, id esse natura, alienumque esse a sapiente non modo iniuriam cui facere, verum etiam nocere.* Pro *cui* Lambinus, probante fere Orellio, temere scripsit *cuiquam;* dicere voluit autem Tullius hoc, ne *certo* quidem homini, hoc est, ne ei quidem, qui fortasse meritus sit, sapientem debere iniuriam facere. V, 12, 35 *Sed certe opus est ea valere et vigere et naturalis motus ususque habere, ut nec absit quid eorum, nec aegrum debilitatumve sit.* Cogitat autem de *certa* re, de partibus corporis. *d. Leg.* II, 26, 66 *Sepulchris autem novis finivit modum; nam super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam.* Male autem idem Lambinus, eodem commendante Orellio, *quicquam* pro *quid*. *Brut.* 41, 151 *Non enim facile quem dixerim plus studi quam illum et ad dicendum et ad omnis bonarum rerum disciplinas adhibuisse.* Negat enim, habere se *certum* quendam, de quo id possit praedicare. Hoc quoque loco Lambinus perperam *quemquam* pro *quem*. — Apparet autem, quamquam his locis pro *quis* etiam dici potuit *quisquam*, tamen aliquantulum differre, utrum talibus locis scribatur *quis* an *quisquam*, qua de re disputabitur in libro de vocabulis negantibus. — Ac Latinorum quidem vocabulo indefinito *quis* nostrum plane respondet *wer*, quod in communi sermone usurpamus pro *jemand.* Nam ut *quis* et est vocabulum interrogans et indefinitum, sic est nostrum *wer*. Nec id mirum; nam si quaeritur *quis hoc fecit?*, illud *quis* proprie nihil est aliud nisi vocabulum indefinitum, modo addita interrogatione. Nos diceremus *Iemand hat dies gethan?* Nam cum, ubi dicitur *Aliquis* (*quis*) *hoc fecit?*, exspectetur, ut nominetur, quis fecerit, factum est, ut *quis* posset fieri vocabulum interrogans. Ac vocabulum interrogans *quis* proprie nihil aliud esse nisi indefinitum, perspici potest etiam ex vocabulo *quisquam*, quod saepe ponitur

in interrogatione, idem ut sit quod *quisquamne*. Quare *quis* interrogans potest explicari *quisne*. Idem vero cadit in nostrum *wer*, atque in Graecorum *τις*.

Non possum tamen, quin hoc loco brevi attingam discrimen vocabulorum *quis* et *aliquis*, de quo maucam apud homines doctos esse intellexerim scientiam. Id quidem hodie recte sibi videntur persuasisse omnes, post coniunctiones *si*, *nisi*, *ut*, *ne*, *quo*, non, ut olim dicebatur, omitti solere priores duas syllabas vocabuli *aliquis*, sed et *quis* et *aliquis* diversa esse vocabula, tamen pauci videntur perspexisse, cur post illas maxime coniunctiones saepius usurpatum inveniatur *quis* quam *aliquis*. Cuius rei causa sine dubio haec est. Vocabulum *aliquis* ortum esse ex *alius quis*, non est obscurum, atque id constat. Quare si dicitur *aliquis hoc dixit*, id, cum omnes linguae regulae ad eum debeant referri et quasi reduci, qui loquitur, intelligendum est hoc modo *alius quis hoc dixit*, *non ego*, *qui nunc loquor*. Atque haec interpretatio ita est consentanea, vix ut de eius veritate videatur posse dubitari. Quodsi hoc tenebitur, facillimo negotio ea explicabuntur, quae apud scriptores Latinos leguntur, quod attinet ad usum vocabulorum *aliquis* et *quis*. Intelligitur autem primum, cur maxime post coniunctiones condicionalis et post *ne* inveniatur vocabulum *quis*. Nam plerumque, ubi quis condicionem ponit, aut ubi quid vetat, non is, qui loquitur, sese excipit, sed ut in ceteros, sic in ipsum quoque, qui loquitur, cadit sive condicio sive interdictum. Sic *d. Off.* I, 7, 21 *Ex quo, quia suum cuiusque fit eorum, quae natura fuerant communia; quod cuique obtigit, id quisque teneat: eo, si qui sibi plus appetet, violabit ius humanae societatis.* Nam ipse quoque Cicero violasset ius humanae societatis, si plus sibi appetisset. Quod autem dixit *si qui*, non *si quis*, id rectissime factum esse sequitur ex is, quae supra dicta sunt. Est enim *si qui, quicunque erit*. Sic *Tusc.* IV, 8, 17 *Nam si qui doleat eius rebus secundis, a quo ipse laedatur, non recte dicatur invidere.* Ipse quoque enim Cicero, qui haec loquitur, non recte diceretur invidere, si doleret eius rebus secundis, a quo ipse laederetur. Perversum fuisset autem *si quis*. Sic *Parad.* I, 1, 8 *Quamobrem licet irrideat, si qui vult: plus apud me tamen vera ratio valebit, quam vulgi opinio, neque ego unquam bona perdidisse dicam, si quis pecus aut supellectilem amiserit.* Nam quod ad priorem locum attinet, licebat ipsi quoque Ciceroni irridere, sed noluit. Neque altero loco sese excipit, nam si ipse pecus amisisset, non dixisset, bona se perdi-

disse. Quod tamen priore loco cum optimis libris scripsi *si qui*, posteriore cum iisdem *si quis*, in hoc dissentiet a me nemo profecto. Nam illud *si qui* est *si qui*, *quicunque est*; altero vero loco necessario requiritur *si quis*; loquitur enim Cicero de *certo* quodam hominum genere, de iis scilicet hominibus, qui habent pecus aut suppellectilem. Mira autem excogitarunt ad hunc locum interpretes, ut Gernhardus et Ochsnerus *Ecl.* p. 284, de discrimine dictionum *si qui* et si *quis*. Tum *d. Off.* I, 7, 20 *Sed iustitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat nisi lacessitus iniuria.* Innuere vult enim Tullius, in se quoque cadere illud interdictum. Rectissime autem scripsit *ne quis*, non *ne qui*, quippe cum cogitet de *certis* quibusdam hominibus, de iis videlicet, qui nocent non lacessiti iniuria. Sin scripsisset *ne qui*, hoc est *ne qui*, *quicunque est*, id repugnasset exceptioni, quam ipse addidit, *nisi lacessitus iniuria.* — Contra *Brut.* 73, 255 *Plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnaverunt.* Quanto modestius est, quod scripsit Cicero *si modo est aliquis*, quam fuisset *si modo est quis*, quod sic intelligi potuisset, quasi scriptor se ipsum illum esse voluisset significare! Cur hoc loco non scripserit Cicero *aliqui*, quod quis exspectaverit pro *aliquis*, apparebit ex sequentibus. *p. Sest.* 62, 131 *Quod certe, si est aliqui sensus in morte praeclarorum virorum, cum omnibus Metellis, tum vero uni viro fortissimo et praestantissimo civi gratissimum, fratri suo, fecit, socio laborum, periculorum, consiliorum meorum.* Minime cum Haudio in *Turs.* I, p. 262 *aliqui sensus* explicaverim *certus aliquis* (? ?) *sensus*; id si voluisset significare Cicero, dicendum fuisset *si aliquis sensus in morte praeclarorum virorum est*, quod tamen in hunc locum minus quadrasset, cum ipsa collocatio verbi substantivi doceat, significare hoc loco voluisse Ciceronem, de isto sensu posse dubitari. Eam vero ob causam scripsit *aliqui* non *qui*, quod aliquo modo voluit significare, si qui esset sensus in morte praeclarorum virorum, eum sine dubio alium esse in mortuis atque in vivis; multo scitius igitur scriptum est *si aliqui* quam *si qui*. Eodem modo autem differre *si aliquis* et *si aliqui* atque *si quis* et *si qui*, non est quod multis ostendam, cum, quod de illis est dictum, in haec quoque cadat. Ergo non potest esse obscurum, cur hoc loco scriptum sit *si aliqui sensus*, ac non *si aliquis sensus*, cum voluerit significare Tullius, dubitari posse, num

esset omnino sensus post mortem. Sic *ad Fam.* VII, 1, 1 *Si te dolor aliqui corporis aut infirmitas valetudinis tuae tenuit, quominus ad ludos venires, fortunae magis tribuo quam sapientiae tuae; sin haec, quae ceteri mirantur, contemnenda duxisti et, cum per valetudinem posses, venire tamen noluisti, utrumque laetor, et sine dolore corporis te fuisse et animo valuisse, cum ea, quae sine causa mirantur alii, neglexeris.* Recte Mediceus *aliqui* non *aliquis*; nam innuit Cicero, ut ex iis, quae transscripsi, apparet, sperare sese, non tenuisse Marium corporis dolorem. Item rectius *aliqui* quam *qui*; nam praeclare statim ab initio aliquo modo significat Cicero, malle sese animi dolorem tenuisse Marium quam corporis, cum loquitur hoc fere modo *Si te alius qui dolor quam animi, corporis igitur dolor tenuit.* Sic *Philipp.* XIII, 1, 2 *Proximo bello si aliquid de summa gravitate Pompeius, multum de cupidate Caesar remisisset, et pacem stabilem et aliquam rempublicam nobis habere licuisset.* Hoc est *si quid, aliter atque fecit, remisisset;* nam nihil remisit Pompeius. — Ceterum, quod attinet ad formam *aliqui*, attendendum est, nullo, quod sciam, loco (nam in oratione *p. Syll.* 13, 39 non sane probabitur codicis Ambrosiani lectio *aliqui*, propterea quod propter sequens vocabulum *sed* facillime potuit omitti littera *s*) eam apud optimos scriptores usurpatam esse pro substantivo, sed semper esse adiectivum, in qua tamen re non raro peccarunt homines docti; atque haec est causa, cur loco illo in *Bruto* 73, 255, quem supra tractavimus, non potuerit scribi *aliqui*, quod tum certe scripsisset Cicero, si *aliqui* etiam pro substantivo potuisset usurpari. — Memorandum est etiam, *aliqui* non, ut *qui*, solum post coniunctiones illas condicionalis atque finalis posse poni, sed etiam tum, si illae non praecedant. Sic *d. Off.* I, 32, 115 *Ac duabus is personis, quas supra dixi, tertia adiungitur, quam casus aliqui aut tempus imponit.* Ita rectissime optimi codices; namque *incertus* est semper casus; sed potuit etiam dici *casus aliquis* propterea, quod saepe tales casus accidunt, itaque *certus* quodammodo est. Dixit autem vel optime *casus aliqui*, non *casus quis*, ut significaret, casum, qui tertiam imponeret personam, aliud quid esse quam consilium, quod priores duas imposuisset. Sic *in Verr. A.* II, *l.* IV, 65, 146 *At quis appellat? Magistratus aliqui? Nemo. Senator? Ne id quidem. Syracusanorum aliquis? Minime.* Priore loco rectissime dixit *Magistratus aliqui* pro *Magistratus aliquis*, quia post ipse dicit nullum magistratum appellasse. Quod autem usurpavit *aliqui*, non *quis*, id recte fecit; nam

cogitasse videtur sic *alius quis magistratus quam praetor est.* Altero loco pro verbis *Syracusanorum aliquis* non fuisset Latinum *aliqui;* vehementissime igitur erravit Orellius, qui contendit, hoc quoque loco potuisse scribi *Syracusanorum aliqui.* Quod autem Zumptius pro *Magistratus aliqui* scripsit *Magistratus aliquis,* vereor ne vir doctissimus id fecerit temere. — Atqui ubi notio *alius* magis est urgenda, aut dicitur *alius quis* aut *alius aliquis.* Cf. *d. Nat. D.* II, 44, 115 *Haec omnis descriptio siderum atque hic tantus coeli ornatus ex corporibus huc et illuc casu et temere cursitantibus potuisse effici cuiquam sano videri potest? aut vero alia quae natura mentis et rationis expers haec efficere potuit, quae non modo ut fierent ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint sine summa ratione non possunt?* Quo loco miror Orellium lectioni unius codicis *alia qua,* quam recepit Lambinus, tribuisse paritatis signum cum *alia quae;* nam profecto istud *alia qua* est soloecum. *ad Att.* III, 16 *in. Si spes erit, Epirum, si minus, Cyzicum aut aliud quid sequemur. d. Fin.* II, 32, 104 *Themistocles quidem cum ei Simonides, an quis alius, artem memoriae polliceretur „oblivionis" inquit „mallem."* Tum *ibid.* 33, 109 *Quare aliud aliquid, Torquate, hominis summum bonum reperiendum est.* IV, 17, 46 *Non enim in selectione virtus ponenda erat, ut id ipsum, quod erat bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. d. Inv.* I, 11 15 *Comparatio est cum aliud aliquod alicuius factum rectum aut utile contenditur. d. Orat.* II, 9, 36 *fateamur aut hoc, quod haec ars profiteatur, alienum esse, aut cum aliqua alia arte esse commune.* Rarissime autem usurpatur *aliquis,* si maxime urgenda est notio *alius,* velut apud Tac. *Ann.* I, 4 *ext. ne iis quidem annis, quibus Rhodi, specie secessus, exsulem egerit, aliquid quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum.*

Quamquam id non videtur posse dubitari, quod supra dixi, propterea post *si, nisi, ne* maxime inveniri *quis* non *aliquis,* quod is, qui condicionem aut interdictum ponat, se non soleat excipere, tamen multi sunt loci, quibus alia quaedam est ratio. Primum non raro, ubi dicitur *si quis* (*qui*), non potest de eo etiam cogitari, qui loquitur; nec mirum. Nam etsi illis locis, ubi in dictionibus *si quis, ne quis* ne is quidem, qui loquitur, excluditur, id certe vocabulum fuit eligendum, quo id poterat significari, vocabulum *quis,* non tamen ex hoc sequitur, idem illud *quis* non posse tum usurpari, ubi de eo, qui loquitur, non cogitatur. Nam quamquam saepe *quis,* quia est indefinitum vocabulum, ad eum

quoque pertinet, qui loquitur, tamen nihil impedit, quin tum etiam usurpetur, si ad istum non pertinet, propterea quod *quis* et me ipsum potest designare et alium. Quare recte possunt dici talia *si qui deus, si qua bestia, si qui rex*, similia, deinde haec *si quis ad me veniet* pro *si ad me aliquis veniet*, tum neutrum *si quid*, et quae sunt similia. — Quod attinet autem ad vocabulum *aliquis*, sunt quidem non pauci loci, quibus aliquo modo urgetur notio *alius* (velut *Brut.* 90, 310 *Commentabar declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie. Tusc.* IV, 24, 53 *Quae enim istarum definitionum non aperit notionem nostram, quam habemus omnes de fortitudine tectam atque involutam? qua aperta quis est qui aut bellatori aut imperatori aut oratori quaerat aliquid, neque eos existimet sine rabie quicquam fortiter facere posse?*), tamen plerisque locis, ubi dicitur *aliquis*, significatur nihil aliud, nisi non multum referre, utrum hoc an illud eiusdem generis ponatur, nos dicimus *irgend jemand.* Neque vero, si dicitur *aliquis*, de eo quoque, qui loquitur, potest cogitari, sed tum iste semet ipsum excludit, id quod profecto sequitur ex vocabuli origine. Quare eis locis, ubi generalis quaedam est condicio aut interdictum, non potest dici *si aliquis* pro *si quis*. Denique non potest videri mirum, idem vocabulum *aliquis*, quod plerumque ita usurpatur, ut non ita magna in eo insit vis, ibi quoque habere locum, ubi cum graviore quadam vi volunt loqui scriptores. Similiter nos in dictionibus *das ist etwas anders, das ist ein andrer Mann*, aliisque; nam saepe, quod aliud esse dicimus, id praestare putamus. Ex hoc genere sunt *aliquid dicere, aliquid esse*, similiaque.

Ibidem. *Nunquam enim neque.* Omisi cum optimo codice Erfurtensi pronomen *hic*, quod ceteri codices post *enim* addere dicuntur. Atque constat, non raro addita esse a librariis talia pronomina, etiamsi prorsus fuerint supervacanea. Similiter supra 3, 5 pro *unum* recentiores codices omnes habent *hunc*.

Ibidem. *revincetur.* Hoc uno tantummodo loco verbum *revincendi* apud Tullium invenitur, id quod sine dubio Lambinum commovit, ut scriberet *convincetur.* At temere, cum et intelligatur, cur hoc potissimum loco scripserit Tullius *revincetur*, non *convincetur*, et cur omnino tam raro apud Ciceronem legatur istud vocabulum. Cum enim Archias, affirmantibus etiam amicis, comprobasset, esse se civem Romanum, non potuit eum neque suum, neque amicorum iudi-

cium *revincere*, h. e. non potuit ipse vicissim negare, esse se civem, cum argumenta, quae allata erant, omnino demonstrassent, esse eum revera civem. Castigantur igitur ea, quae Gratius dixerat, *Archiam ne ipsius quidem iudicio in civium Romanorum iure esse versatum.* Quare verbum *revincendi* hoc loco est aptissimum; nam si quis, quod ante comprobaverat, post vult negare, is profecto dici potest *se ipsum revincere*, quippe cum *revincere* proprie sit *rursus vincere.* Quamquam apud scriptores posterioris aetatis *revincere* similem accepit significationem, atque *refellere*, *redarguere*, *refutare*.

Cap. VI. §. 12. *Quaeres.* Pro *Quaeres*, quod codices habent omnes, temere de coniectura Lambini Weiskius et Schroeterus, non improbante Orellio, *Quaeris*, ac recte iam negavit Moebius, posse dispici, quid invisset Gratium ista opponere, quippe cum orator statim ea fuisset refutaturus. Quamquam ipse Cicero in sequentibus *An tu existimas* more oratorum ita loquitur, quasi Gratius revera isto modo quaesivisset.

Ibidem. *ceteros pudeat, si qui.* Cf. *d. Inv.* II, 29, 88 *Defensor autem, cum cetera, si qua ex aliis incident constitutionibus, pertractarit, de ipsa remotione sic argumentabitur.* Hi sunt loci, quibus aliquis possit opinari, *ceteri* idem fere significare, quod *alii.* At nullo loco apud optimos scriptores *ceteri* significat *alii;* semper retinet eam significationem, ut in eo insit oppositio quaedam, de qua re iam supra 1, 1 diximus. Sic opponuntur hoc loco *ceteri* ipsi *Ciceroni.* Opponuntur 3, 5 *cetera praemia*, quae sunt omnia honorum genera, tamquam leviora, *civitati:* itaque plane *p. Balb.* 22, 51 *Pompeius Saguntinos Fabios civitate donavit. Etenim cum ceteris praemiis digni sunt, qui suo labore et periculo nostram rempublicam defendunt: tum certe dignissimi sunt, qui civitate ea donentur, pro qua pericula ac tela subierunt.* Quare in istis verbis non debebat offendi Schroeterus. Opponuntur 5, 10 *ceteri*, qui irrepserunt in tabulas municipiorum, *Archiae;* in quo loco propterea vehementer offensus est idem Schroeterus, quod putaverat, Ciceronem isto vocabulo significasse, omnis praeter Archiam irrepsisse in tabulas. Ineptus profecto fuisset Cicero, id si contendere voluisset. Potuit quidem orator illo loco dicere *alii*, sed, cum dixerit *ceteri*, h. e. *ceteri, qui irrepserunt*, oppositio magis perspicitur, quae est inter Archiam et eos, qui irrepserant in tabulas. Cf. praeterea *d. Inv.* II, 1, 1 *Zeuxis et ceteras compluris tabulas pinxit, quarum nonnulla pars*

usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit: et, ut excellentem muliebris formae pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenae pingere se simulacrum velle dixit. Opponuntur hoc loco *ceterae tabulae,* de quibus antiqui scriptores mentionem fecerunt, *Helenae imagini. Tusc.* IV, 38, 82 *Etsi enim omnis animi perturbatio gravis est, nec multum differt ab amentia, tamen ita ceteros, cum sunt in aliqua perturbatione aut metus, aut laetitiae, aut cupiditatis, commotos modo et perturbatos dicere solemus: at eos, qui se aegritudini dediderunt, miseros, afflictos, aerumnosos, calamitosos.* Opponuntur hoc loco *eis, qui se aegritudini dediderunt, ceteri, qui sunt in aliqua perturbatione metus, aut laetitiae, aut cupiditatis.* Modo per prolepsin usitatissimam *ceteri,* qui opponuntur, prius nominati sunt, quam ei, quibus illi opponuntur. — Atque in eo etiam maxime differunt *ceteri* et *reliqui,* quod in vocabulo *ceteri* semper inest oppositio, cum contra in *reliqui* semper perspiciatur residuum aliquod. Quare nullo loco cum verbis *antecellendi, praestandi* iunctum legitur vocabulum *reliqui,* sed vel *ceteri,* vel *alii,* nec magis invenies *praeter reliquos* pro *praeter ceteros,* ea scilicet significatione, qua recentiores uti solent *prae ceteris.* Contra non facile vocabulum *ceteri* iunctum reperies cum numero aliquo, sed dixerunt Latini *reliqui sex,* non *ceteri sex.*

Ibidem. *ita se litteris abdiderunt.* Cum Gesnero et Doederlino in *Syn.* IV, p. 46 *litteris* potius pro dativo habuerim, ut explicetur per *in litteras,* quam cum ceteris pro ablativo. Eodem modo Vellei. Pat. *Hist. Rom.* II, 91 *ext.* usurpavit dativum *Neque hic prioribus in occultando felicior fuit, abditusque carceri cum consciis facinoris mortem dignissimam vita sua obiit.* Liberius modo pro *in carcerem.* Solent enim optimi scriptores dicere vel *se abdere in rem,* vel *in re,* non tamen *se abdere re.* Cf. tamen *ad Fam.* IX, 20, 3 *Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo, aut scribo aut lego;* quo loco *litteris* est ablativus, non dativus; nam ut dicant Latini *occultare se aliqua re,* sic illo loco rectissime usurpatus est ablativus in dictione *litteris se involvere.*

Ibidem. *a nullius.* Sic omnes sine dubio codices, etiam optimus codex Erfurtensis, pro *ab nullius,* quod plerique editores nescio unde arripuerunt. Nam, teste Orellio, etiam editio Veneta, et Cratander, et Lambinus habent *a,* non *ab.* Contenderim equidem, istud *ab* ortum esse ex prava coniectura, quam receperunt Iunta et Camerarius, *ut ab illis nullo me* pro *ut a nullius unquam me.* — Quod vero attinet ad

genitivum *nullius*, non possum, quia oblata occasione iam nunc gravissimum attingam errorem hominum doctissimorum, qui, cum constet, optimos scriptores Latinos abstinuisse genitivo *neminis*, tamen in ipsum Ciceronem ex coniectura intulerunt talem genitivum *ad Att.* XIV, 1, 1 *affirmabat, in sermonem se post Idus Mart. praeterquam Lepidi venisse nemini.* Sic rectissime omnes codices, praeter codicem Faërni, qui ex correctione pro *Lepidi* habet *Lepido.* Sed quis non miretur, quod editores recentiores, ut Graevius, Ernestius, Schuetzius, Orellius, probante, ut videtur, etiam Zumptio in grammatica, hoc loco receperunt coniecturam Bosi *neminis*, quam vix Latinam esse dico? Offensi enim videntur editores isti in dativo *nemini*, propterea quod scripserat Tullius *in sermonem Lepidi*, neque reputarunt, cum et dici possit recte *nemini in sermonem venio*, liberius pro *cum nullo*, et *in sermonem Lepidi venio*, modo utramque dicendi rationem hoc loco coniunctam esse. Porro pravo iudicio commendat Orellius istum genitivum *neminis p. Coelio* 23, 56 in verbis *si hic nemini nomen detulisset.* Sic rectissime plerique habere videntur codices; nam lectio codicis Taurinensis *nullius* est illa quidem memorabilis, videtur tamen grammatici esse glossema, factum ad infamatum istud *neminis*, quod habent nonnullae editiones antiquae. Sed haec hactenus; alio loco fusius de hac re erit dicendum. Mirabuntur autem homines doctissimi, si brevi a me primo docebuntur, ne ablativum quidem *nemine* ullo inveniri loco, sed dixisse Latinos *nullo* pro *nemine*, ut *nullius* pro *neminis.* Satis tamen in praesentia habeo, rem significasse.

Ibidem. *tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.* Rectissime hoc loco plerique editores cum multis codicibus, etiam codice Erfurtensi, *commodo* pro *commodum*, quod pauciores ac deteriores habent libri scripti. Dicere voluit enim Cicero hoc: neque otium, neque voluptas, neque somnus me prohibuerunt, quin aut alicuius *tempori* (i. e. periculo) succurrerem, aut quin *commodum* hominis adiuvarem; nam et pericula hominum depellere semper studui, nec, ubi commodum eorum poteram adiuvare, id neglexi. Perperam igitur illi iudicarunt, qui pro *commodo* exspectandum fuisse censuerunt *incommodo*, atque Matthiaeus, qui in *Notis criticis* ad hanc orationem p. 390 verba *aut commodo* deberi opinatur glossatori. Cf. *p. Planc.* 16, 40 *Tu me ignaro, nec opinante, inscio notes et tuos et tuorum amicorum necessarios, vel iniquos vel meos vel etiam defensorum meorum,*

eodemque adiungas, quos natura putes asperos atque omnibus iniquos? Quo loco eodem fere modo usurpatae sunt particulae *vel*, atque nostro loco particulae *aut*. Erravit autem idem Matthiaeus, cum dubitaverit, possetne iungi verbum *retardarit* cum *a tempore*. Ita plane dixit Cicero *ad Fam.* V, 17, 1 *posteriora tempora me a scribendo retardarunt.*

Ibidem. §. 13. *ad festos dies ludorum.* Cf. *in Verr. A.* II, *l.* IV, 67, 151 *Etiam hercule illud in Syracusanis merito reprehenderetur, si, cum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent celeberrimum et sanctissimum, quod eo ipso die Syracusae a Marcello captae esse dicuntur, idem diem festum Verris nomine agerent.* Est autem *festus dies ludorum* is, qui festus est propter ludos. Simili modo Tullius scripsit *p. Sest.* 63, 131 *itinere toto urbes Italiae festos dies agere adventus mei videbantur.* Recentiores dicerent *propter adventum meum.*

Ibidem. *temporum.* Sic rectissime plerique codices, etiam Erfurtensis, ac pauciores ex correctione habent *temporis.* Sed illum pluralem Schroeterus Latinum esse negavit, propterea quod tempus, quod sumeretur aut concederetur, non posset dici multitudinis numero. Idem tamen Cicero eodem plane modo dixit *p. Mur.* 35, 74 *neque vero Cretes, quorum nemo gustavit unquam cubans, melius quam Romani homines, qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt, respublicas suas retinuerunt.* Sic Cornel. Nep. XXV, 4, 3 *Hic compluris annos moratus, cum et rei familiari tantum operae daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, et omnia reliqua tempora aut litteris aut Atheniensium reipublicae tribueret, nihilominus amicis urbana officia praestitit.* Sic Sall. *B. I.* 6 *in. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxui, neque inertiae corrumpendum dedit; sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare: et cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse: ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire.* Sic Quint. I, 12, 18 (quem unum locum attulit Matthiaeus) *Qui vero imaginem ipsam eloquentiae divina quadam mente conceperit, facile persuadebit sibi, ut tempora, quae spectaculis, campo, tesseris, otiosis denique sermonibus, ne dicam somno et conviviorum mora conterunt, geometrae potius ac musico impendat.* Sic etiam Horat. *Epist.* II, 1, 4 *Si longo sermone*

morer tua tempora, Caesar. Apparet igitur, et Latinum, nec non Tullianum esse talem pluralem, atque adeo contendo, offendendum fuisse potius in singulari *temporis.* Nam quis crederet, Ciceronem scripsisse *corporis conceditur temporis*, tam ingrata allitteratione?

Ibidem. *alii alveolo, pilae.* Haec certissima erui, adiuvante optimo libro Erfurtensi, qui habet *alveolo* pro *aleae,* ex leviter corrupta praestantissimi codicis Ambrosiani lectione hac *qui aeloqui pilu*, ut ibi legitur pro multis ceterorum codicum verbis *quantum denique aleae, quantum pilae.* Et mehercule nemini videbor fuisse audacior, quod *alii* scripsi pro *qui*, cum eaedem fere sint litterae: *alveolo*, quod vocabulum revera ille praebet codex Erfurtensis, pro *aeloqui: pilae* denique pro *pilu.* Atque cum haec antiquissimi libri lectio, quam meo iure videor appellasse certissimam, recipienda fuisset, etiamsi apta esset recentiorum codicum scriptura, nemo sane dubitabit mecum eam recipere, si docuero, ineptum fere esse, quod in plerisque legitur codicibus *quantum denique aleae, quantum pilae.* Nam primum concinnitas totius loci flagitat profecto, ut, posteaquam dixit Cicero *quantum alii tribuunt tempestivis conviviis*, alterum sequatur *alii*, non tamen tale quicquam *quantum denique.* Iam vero non offendi non potes in eo *quantum*, quod interpositum est inter *aleae* et *pilae*; nam cum et *alea* et *pila* satis cognata ludorum sint genera, admodum fuisset putidum, si haec Tullius, tamquam diversissima, diiunxisset interposito vocabulo *quantum.* Aptissimum est autem asyndeton, quo significare voluit orator, plura etiam ludorum genera posse adiici, satis tamen sese habere, haec duo attulisse. Ac simillimum asyndeton in simillima re legitur *d. Orat.* III, 22, 85 *Me autem, Catule, fateor, neque hodie in istis libris et cum istis hominibus vivere, nec vero, id quod tu recte commeministi, ullum unquam habuisse sepositum tempus ad discendum, ac tantum tribuisse doctrinae temporis, quantum mihi puerilis aetas, forenses feriae concesserint.* Quo loco temere Lambinus, immerito commendante Orellio, scripsit *et forenses.* Alii fortasse, qui ipsi quoque non sibi poterunt persuadere, talibus locis asyndeta vel maxime esse Latina, interponent, non magis tamen vere quam nostro loco, vocabulum *quantum* hoc modo *quantum mihi puerilis aetas, quantum forenses feriae concesserint.* — Restat, ut ostendam, quemadmodum nostro loco in recentioribus codicibus orta sit ista lectio *quantum denique aleae, quantum pilae* pro *alii alveolo, pilae.* Omnes scilicet turbae ortae sunt ex glosse-

mate sive coniectura *aleae* pro vocabulo librariis parum noto *alveolo*. Posteaquam enim correctum est in aliquot libris *alii aleae, pilae*, exstitisse putandus est, qui, cum illud *alii* vel propter ingratissimam allitterationem corruptum, vel propter nimiam similitudinem cum sequenti vocabulo *aleae* ortum esse ex hoc ipso vocabulo sibi persuasisset, deleverit vocabulum sanissimum *alii*. Deleto autem illo *alii* cum deesse aliquid sensisset, neque sciret, ipsum *aleae* pravam esse correctionem pro *alveolo*, optimum esse duxit, addito satis malo *denique* pro *alii* repetere illud *quantum*, quod vocabulum, ut male illo loco, sic peius etiam addidit ante vocabulum *pilae*. Tametsi autem hoc modo in plerosque irrepsit codices et coniectura *aleae* pro *alveolo*, et *quantum denique* atque *quantum*, tamen in aliis codicibus, ut in optimo codice Erfurtensi, illuc quidem vocabulum verissimum *alveolo* servatum est, propterea, ut opinor, quod in margine antiqui cuiusdam libri annotatum erat, istud *aleae* ex coniectura ortum esse pro *alveolo*.

Ibidem. *Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod*. Erravit quidem Haudius, qui in *Turs*. I, p. 147 hoc loco vocabulum *adeo* coniecturam Manuti appellaverit (nam plerique codices, ipse quoque codex Erfurtensis, habent illud *adeo*, atque *ideo*, quod novissimi editores, ut Matthiaeus et Reuterus, commendante Orellio, receperunt, quodque pauciores habent libri scripti, ortum est ex aperta correctione), verumtamen idem vir doctissimus verissimam iniit huius lectionis defendendae rationem. Suo iure enim negavit, Latinum esse *adeo magis quod* pro *eo magis quod*, potius illud *adeo* cohaerere cum pronomine *hoc*. Constat enim, a Latinis particulam *adeo*, ut a Graecis particulam *γε*, tum usurpatam esse, cum res aliqua, de qua iam ante dictum erat, maiore vi ecferenda erat, eaque significatione saepissime coniunctam inveniri cum pronominibus *is* et *hic*. Atque ex ipso Cicerone Haudius attulit exempla simillima, velut *in Verr. A.* II, *l.* IV, 64, 143 *Id adeo ex ipso senatusconsulto cognoscite. p. Cluent.* 29, 80 *Id adeo sic cognoscite. p. Caec.* 30, 86 *Id adeo, si placet, considerate.* Addere poterat *in Verr. A.* II, *l.* III, 51, 120 *Id adeo sciri facillime potest ex litteris publicis civitatum. A.* II, *l.* IV, 63, 141 *Id adeo, iudices, ut mihi ab illis demonstratum est, sic vos ex me cognoscite.* Quo loco pro *adeo* quaedam editiones perperam habent *ideo*, eadem lectionis varietate, quae nostro loco invenitur. *A.* II, *l.* V, 4, 9 *id adeo non tam ex re, quam ex istius factis decretisque cognosco.*

Cf. porro Caes. *B. G.* V, 54 *ext.* *Idque adeo haut scio mirandumne sit.* Nos diceremus *Und gerade dies möchte wohl nicht zu verwundern sein*, eundem cf. in epist. Ciceronis *ad Att.* IX, 16, 3 *Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius: hanc adeo habebo gratiam illi.* Saepe apud Sallustium, atque locis, quos iam Haudius ex isto scriptore attulit, adde hos *B. I.* 110 *m.* *Id adeo experiri licet.* 111 *in.* *Id adeo in promptu esse, quoniam Iugurthae copiam haberet.* Miror tamen, quod Haudius neglexit locum apud Cic. *d. Leg.* II, 10, 23 *Ergo adeo exspectate leges, quae genus illud optimum reipublicae contineant.* Nos diceremus *Folglich erwartet auch Gesetze.* Pueri pro tali *ergo adeo* barbare dicere solent *ergo etiam*, nec aegre ferunt talia praeceptores.

Ibidem. *crescit.* Sic rectissime plerique codices, etiam optimus Erfurtensis. Sed satis mirari non queo, quod prava lectio *censetur*, quae quidem paucissimorum nititur librorum auctoritate, quaeque unde orta sit, non potest esse obscurum, tam multos invenit defensores, ipsum quoque Matthiaeum. Rectissimo enim iudicio Moebius, quem suo iure secuti sunt Orellius et Reuterus, et defendit lectionem *crescit*, et improbavit alteram istam *censetur*. Atque verissimam esse lectionem *crescit*, iam docere poterant quodammodo haec verba *quae quantacunque in me, nunquam amicorum periculis defuit.* Dicere enim voluit Cicero hoc: „his studiis humanitatis, quae semper colui, mea ipsius dicendi facultas maior et amplior facta est, atque, quamquam ipse bene scio, nondum eam esse meam eloquentiam, ut perfecta sit, certe tamen amicorum periculis nunquam defuit.“ Nam ubi dixit, ex illis studiis etiam suam dicendi facultatem *crescere*, statim modestiae studio commotus haec adiecit *quae quantacunque in me, nunquam amicorum studiis defuit.* Inepta est tamen hoc loco lectio *censetur*, propterea quod non poterat dicere Tullius, eam ob causam sibi concedendum esse, ut humanitatis studia recoleret, quod ex istis studiis aestimaretur ipsa dicendi facultas. Nam ne per se quidem verum est, praesertim apud Latinos, ex istis studiis eloquentiam aestimari, h. e. eum oratorem, qui ista poëticae studia non coluerit, malum haberi oratorem. Contra verissime dicitur ex illis studiis *crescere* facultas oratoria, etiamsi orator nihil magnum unquam praestiturus sit in arte poëtica. Nam cum constet, bonum oratorem non solere esse bonum poëtam, ut ipsius Tulli exemplum docet, tamen orator sese dedere debet talibus studiis, ut praesidia inde atque ornamenta capiat. Ac-

cedit, quod aurea aetate nemo unquam scriptor sic usus est hoc *censendi* verbo, ut idem significet quod *aestimare*, *beurtheilen*. Nam uno illo loco in *Parad.* VI, 2, 48 *Meam autem quoniam pecuniam contemnis, de me silebo; de re loquar. Si censenda nobis atque aestimanda res sit, utrum tandem pluris aestimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabrici, qui illam pecuniam repudiabat?*, qui, tamquam similis, afferri solet, illud *censendi* verbum in re nummaria usurpatum est, ut nobis vertendum sit *taxiren*. Apparet vero, deberi istud *censetur* librario, qui non intellexerat, quid significaret hoc loco *crescit*, neque meminerat, cum eadem praepositione *ex* eadem significatione apud Ciceronem non raro coniungi *crescendi* verbum; velut *p. Cluent.* 28, 77 *oblatam sibi facultatem putavit, ut ex invidia senatoria posset crescere. p. Rosc. Am.* 30, 83 *Nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere.* Scripsit igitur satis temere librarius *censetur* pro *crescit*, quia recordatus erat, saepenumero apud Ciceronem inveniri dictionem *aliquem ex aliqua re aestimare*, *jemanden nach etwas beurtheilen*, et non reputavit, neque ullo loco ab optimis scriptoribus sic usurpatum esse verbum *censendi*, neque etiam cadere tale quiddam in huius loci sententiam.

Ibidem. *quantacunque in me.* Rectissime omittunt plerique hoc loco codices, ipse quoque codex Erfurtensis, verbum substantivum, quod alii ante *in me*, alii post *in me* existimarunt inserendum esse, neque reputarunt, de industria Ciceronem in his verbis omisisse verbum. Nam quod eorum locorum, quibus apud Ciceronem legitur *quantuscunque* aut *quantuluscunque*, nullo omissum est verbum, haec non est causa, cur idem hoc quoque loco faciendum fuisse censeamus. Et mehercule, qui magis hunc nostrum locum cum ceteris comparasset, vidisset, non eodem plane modo scriptos esse hunc et illos. Cf. enim *d. Orat.* II, 28, 122 *Atque ego is, qui sum, quantuscumque sum ad iudicandum, omnibus auditis oratoribus, sine ulla dubitatione sic statuo et iudico. Philipp.* V, 8, 22 *quorum ipsorum bona, quantacunque erant, statim suis comitibus compotoribusque descripsit. p. Marc.* 2, 7 *totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum.* Porro *d. Orat.* I, 30, 135 *de hac mea, quantulacunque est, facultate quaeritis.* II, 23, 97 *ex eo, quod dico, quantulum id cunque est, quid faciam, indicari potest. ad Att.* VI, 9, 2 *Hanc procura, quantulacunque est, Precianam hereditatem.* Apparet

igitur, nostrum locum ita differre ab illis, ut adiecta sint verba *in me*, quae prohibent quodammodo, ne ponatur verbum substantivum. Omnis enim numerus perisset, sive dixisset Tullius *quae quantacunque est in me*, sive *quae quantacunque in me est*. Aut enim scribere debebat ita, ut plerique atque optimi codices eum scripsisse docent *quae quantacunque in me*, aut, omissis verbis *in me*, hoc modo *quae quantacunque est, nunquam amicorum periculis defuit*. Atque similes sunt ei loci Tulliani, quibus vocabulum *quisquis* ita usurpatum est, ut intelligendum sit verbum substantivum; velut *d. Nat. D.* II, 22, 58 *Atque ut ceterae naturae suis seminibus quaequae gignuntur*; h. e. *quaequae sunt*. *Tusc.* V, 34, 98 *quae, ut quicquid obiectum est, quod modo natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius*; h. e. *ut aliquid obiectum est, quicquid est*. *p. Cluent.* 19, 52 *Sed, ut quicquid ego apprehenderam, statim accusator extorquebat e manibus*; h. e. *ut aliquid ego apprehenderam, quicquid erat*. *ad Fam.* VI, 1, 1 *quocunque in loco quisquis est*; h. e. *quocunque in loco aliquis est, quisquis est*.

Ibidem. §. 14. *Nam nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem.* Quamquam ad unum omnes codices rectissime hoc loco habent *suasissem*, tamen exstiterunt homines doctissimi, ut Lambinus, Tollius, Weiskius, qui pro *suasissem* scribendum esse contenderent *persuasissem*, propterea scilicet, quod offensi erant in accusativo cum infinitivo post *suadendi* verbum, id quod Tullianum esse negarunt. Atque hanc cavillandi occasionem arripuit etiam Schroeterus. Non obtemperarunt quidem novissimi editores illis viris, *persuasissem* scribendum esse iubentibus, verumtamen mirandum est, adhuc neminem, quod sciam, interpretem ostendisse, alibi quoque inveniri hanc constructionem. Simillimus est enim locus *p. Caec.* 5, 15 *Cum esset, ut dicere institueram, constituta auctio Romae, suadebant amici cognatique Caesenniae, id quod ipsi quoque mulieri veniebat in mentem: quoniam potestas esset emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo eius antiquo continens esset, nullam esse rationem, amittere eiusmodi occasionem, cum praesertim pecunia ex partitione deberetur: nusquam posse eam melius collocari.* Quo loco idem Lambinus, qui nostro loco primus in tali constructione haeserat, pro verbis *nullam esse rationem amittere* scribi voluit temere *ne ulla ratione amitteret*. Causam tamen, cur non scripserit nostro loco Cicero *persuasissem*, sed *suasissem*, pauci videntur per-

spexisse, quamvis sit aperta. Loquitur enim orator de adolescentia sua, atque significare vult, quod provectus quidem aetate sibi *persuasisset* solum esse expetendum, id se adolescentem non potuisse iam persuasum habere, sed tantummodo id se sibi *suasisse*. Nam adolescentia etiamsi scire se credat, quid sit in vita magnopere expetendum, tamen *persuasio* reservata est ad aetatem, maiore rerum usu praestantem.

Ibidem. *omnia pericula mortis atque exsilia parvi esse ducenda.* Hanc verissimam optimi codicis Erfurtensis lectionem quis non miretur a novissimis editoribus esse neglectam? Contendo equidem, etiam sine gravissima ista auctoritate ex sola coniectura id scribendum fuisse, quod primus ego ex illo codice recipiendum existimavi. Praeter Erfurtensem librum enim, in quo uno legitur *exsilia,* ceteri omnes satis ineptam praebere feruntur lectionem *exsili,* quam ego ne ferri quidem posse dico. Quis enim unquam de *periculis exsili* locutus est? quae nulla profecto sunt, nisi forte putabis, in his *exsili periculis* Ciceronem recordatum esse publicatorum suorum bonorum atque domus suae concrematae. Nam talia fortuita videntur intellexisse interpretes in istis *periculis exsili.* Contra recepta lectione nihil potest inveniri aptius; nam recte dicuntur *omnia exsilia parvi esse ducenda.* Nos diceremus *alle Arten des Exsils.* Nec sane quisquam sibi persuaserit, si ab ipso Cicerone scriptum esset *exsili,* id facile corrumpi potuisse in *exsilia,* tametsi contrario nihil est verisimilius.

Ibidem. *nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem.* Vehementer offensus est Schroeterus in hac constructione verbi *obiiciendi* cum praepositione *in,* quam Latinam esse negavit. Cf. tamen locus *p. Cluent.* 41, 113 *Nego rem ullam in quemquam illorum obiectam, quae Fidiculanio obiecta non sit.* Causam vero, cur nostro potissimum loco Tullius hanc praetulerit constructionem, haut sane quisquam videtur perspexisse, quamquam non est obscura. Utique non fuisset enim Latinum, si scripsisset hoc modo *nunquam me tot ac tantis dimicationibus, atque his profligatorum hominum quotidianis impetibus obiecissem;* propterea quod Latini prorsus abstinuerunt dativo et ablativo pluralis vocabuli *impetus.* Praetulit igitur aliam dicendi rationem ad vitandum istum dativum *impetibus.* Similis est locus *ad Fam.* VI, 4, 3 *Equidem, nos quod Romae sumus, miserrimum esse duco, non solum quod in malis omnibus*

acerbius est videre, quam audire, sed etiam, quod ad omnis casus subitorum periculorum magis obiecti sumus, quam si abessemus. Pro *omnibus casibus.* Analogiam porro praebet simillimum *offerendi* verbum, quod saepenumero iunctum invenitur cum praepositione *in;* velut *p. Sest.* 1, 1 *qui auderent se et salutem suam in discrimen offerre pro statu civitatis et pro communi libertate.* 28, 61 *Consule me, cum esset designatus tribunus plebis, obtulit in discrimen vitam suam.* Cf. *Tusc.* I, 15, 32 *Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem.*

Ibidem. *Sed pleni sunt omnes libri.* Sic rectissime Erfurtensis codex; ceteri omnes habere dicuntur *Sed pleni omnes sunt libri,* quam collocationem non esse Latinam nemo non videt, ut mirere, ne Matthiaeum quidem secutum esse librum optimum. Illud *plenus* autem nostro loco absolute dictum esse, post Weiskium omnes sibi persuaserunt editores. Ita prorsus loco simillimo in *Tusc.* I, 6, 11 *A. Quis enim non in eiusmodi causa? aut quid negoti est, haec poëtarum et pictorum portenta convincere? M. Atqui pleni sunt libri contra ista ipsa disserentium philosophorum.* Nos diceremus *voll davon.* Mirum est tamen, isto loco simillimo eandem atque nostro loco deprehendi lectionis varietatem; nam nonnullae editiones pro verbis *Atqui pleni sunt libri* haec habent *Atqui pleni libri sunt,* quam collocationem Latinam esse nego. Idem error deprehenditur *ad Fam.* XII, 1, 1 *sed posita omnia in vobis.* Sic optimus codex Mediceus; in quibusdam tamen editionibus barbare legitur hoc modo *sed posita omnia sunt in vobis.*

Ibidem. *exemplorum vetustas,* h. e. *exempla vetusta.* Cf. *p. Rosc. Com.* 2, 6 *litterarum vetustatem,* h. e. *litteras vetustas.* Alio quodam modo Cicero *d. Orat.* I, 46, 201 dixit *vetustatis exempla.*

Ibidem. *quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accenderet.* Hanc praeclaram lectionem *accenderet,* quam plerique tuentur codices, ipse quoque codex Erfurtensis, miro iudicio omnes fere repudiarunt editores. Videntur enim ignorasse, *accendendi* verbum non modo id significare, quod nos dicimus *anzünden,* verum etiam nostrum *beleuchten,* ut raro idem fere sit quod *collustrare.* Ita plane *d. Rep.* VI, 17, 17 *Hunc ut comites consequuntur Veneris alter, alter Mercuri cursus, infimoque orbe luna, radiis solis accensa, convertitur.* H. e. *collustrata,* quod ipsum verbum de eadem re legitur *d. Div.* II, 43, 91 *Docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate luna*

feratur, terram pene contingens; quantum absit a proxima Mercuri stella, multo autem longius a Veneris; deinde alio intervallo distet a sole, cuius lumine collustrari putatur. Praeterea novissimi editores Forcellini laudant ex Quintiliano hunc locum simillimum *Decl.* 4, p. 89 ed. Burm. *placida conceptum stella signavit, ardens nascentis horam sidus accendit*, h. e. *collustravit.* Nostrum igitur locum vertemus sic *welche alle im Dunkel liegen würden, wenn nicht das Licht der Litteratur sie beleuchtete.* Hoc est: de omnibus illis viris antiquitatis, qui suo exemplo comprobarunt, quod dixi, nihil aliud expetendum esse in vita nisi laudem atque honestatem, nihil sciremus, nisi litterarum lumine accenderentur, illustrarentur, h. e. nisi eorum exempla, litteris prodita, posteritati traderentur. Aptissima est igitur haec plurimorum codicum lectio, ut satis mirari non queam, quod tam multi editores languidum istud *accederet*, quod pauciores atque deteriores libri ex correctione habent, potuerunt defendere ac praeferre.

Ibidem. *ipsa cogitatione hominum excellentium.* Nescio quomodo lexicographi neque hunc neque similis ex Tulli operibus attulerunt locos, quibus eodem modo *cogitationis* vocabulum cum genitivo coniunctum est. Miror igitur profecto, quod Schroeterus non offensus est in hoc genitivo, ut non raro haesit tum, cum aliquam constructionem in Nizolio suo aut Schellero non invenerat. Poterat enim etiam quadam veritatis specie ratiocinari hoc pacto, neminem unquam scriptorem dixisse *cogito hominem* pro nostro *ich denke an einen Menschen*, igitur non potuisse dicere Ciceronem *ipsa cogitatione hominum excellentium, durch den blossen Gedanken an ausgezeichnete Männer.* Sed non sunt pauci loci, quibus eodem plane modo scripsit Cicero; velut *p. Sest.* 4, 11 *Atque ut illius temporis atrocitatem recordari possitis, audite litteras, et vestram memoriam ad timoris praeteriti cogitationem excitate.* Quo loco Lambinus, offensus, ut videtur, in hac structura, pro *cogitationem* scripsit *cognitionem. ad Fam.* V, 13, 5 *quarum enim tu rerum cogitatione nos levare aegritudine voluisti, earum etiam commemoratione lenimur.* 16, 14 *Quodsi tuum te desiderium movet aut si tuarum rerum cogitatione maeres, non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto.* VII, 3, 1 *Sollicitum autem te habebat cogitatio cum offici, tum etiam periculi mei. ad Att.* I, 11, 3 *Mire quam illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat.* Denique *Parad.* I, 2, 10 (quem unum locum ex Cicerone laudavit Forcellinus) *Quaero enim a vobis, num*

ullam cogitationem habuisse videantur ei, qui hanc rempublicam tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri et argenti ad avaritiam, aut amoenitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates. Diversi sunt tamen ab his locis illi, quibus genitivus, qui cum hoc substantivo coniunctus est, respondet accusativo, quocum iungitur verbum *cogitandi.* Nam ut dicitur verbi causa *res novas cogitare, auf Neuerungen sinnen,* sic significat *rerum novarum cogitatio das Sinnen auf Neuerungen;* velut *p. Sest.* 51, 110 *Itaque semper versabatur in rerum novarum cogitatione.* Sic *p. Mur.* 22, 45 *Adiungitur enim accusationis cogitatio, non parva res, sed nimirum omnium maxima.* Eodem modo paullo ante dixerat *scis tu, illum accusationem cogitare?.*

Cap. VII. §. 15. *quam tu ecfers laudibus.* Non dubitavi hanc ex Erfurtensi libro recipere verborum collocationem, quae una est digna Cicerone. Quis enim credat, Ciceronem ita potuisse scribere, ut in ceteris legi dicitur codicibus *quam tu laudibus ecfers?* Nam duo sunt, quae istam collocationem repudiari iubent, primum molestissimus hexametri exitus, quem studiose solet devitare scriptor noster, deinde quod maxima vis non erat ponenda in vocabulo *laudibus,* sed in verbo *ecfers.* Librarios autem solitos esse pravum istum numerum in scriptores inferre, quis ignoret?

Ibidem. *sed tamen est certum, quod respondeam.* Scripsi cum optimo codice Erfurtensi *quod* pro *quid.* Nos diceremus *aber doch ist es etwas gewisses, was ich darauf antworten kann.* Sin scriberetur *quid,* id quidem recte diceretur, quod ad constructionem attinet; nam potest dici *certum est, quid,* ut *in Verr. A.* II, *l.* V, 21, 53, verumtamen sententia non tam esset apta hoc loco, quam quae ineat in altera lectione. Ne nos quidem hoc loco diceremus *es ist beschlossen, ich weiss, was ich darauf antworte,* quod tali certe loco nimis graviter esset dictum.

Ibidem. *Ergo.* Hanc verissimam codicis Erfurtensis lectionem sine ulla dubitatione recipiendam duxi pro *Ego,* ut satis male in deterioribus legitur codicibus. Primum enim nimis abrupte post verba illa *sed tamen est certum, quod respondeam* dicerentur haec *Ego — fateor,* si nulla particula cum proximis coniungerentur. Tum nulla potest perspici causa, cur statim ab initio positum sit istud *Ego,* quasi vero vel maxima in eo sita sit vis, quo nihil vidi magis. Quam est contra apta lectio *Ergo!* Nam id ipsum, quod sequitur, est illud certum, quod modo posse se respondere significave-

rat Cicero. Particula *Ergo* igitur arte cohaeret cum verbo *respondeat*, ut haec fere in ea insit sententia *cum igitur ad ea velim respondere*, nos diceremus *Demnach*. Simillimus est notus ille usus particulae *ergo*, ubi post parenthesin ponitur.

Ibidem. *Atque idem ego hoc contendo, cum ad naturam eximiam et illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere.* Pro *Atque*, quod ad unum omnes hoc loco habent codices, non debere scribi *Atqui*, praeclare docuerunt Matthiaeus ad hunc locum atque Haudius in *Turs.* I, p. 477, quamquam hic vir doctissimus nescio quomodo lapsus est, si quidem omisso *hoc* illud *idem* esse opinatus est accusativum. Quod autem primus ego ex optimo libro Erfurtensi recepi accusativum *hoc*, quem ceteri omittere dicuntur codices, in hoc qui mecum dissentiat, erit nemo. Primum enim apparet, tale *hoc*, quod supervacaneum videbatur librariis, facillime potuisse omitti, nec sane quisquam docebit, unde irrepserit in hunc locum, nisi ab ipso Cicerone scriptum erat. Deinde non est obscurum, quare Cicero adiecerit accusativum illum: scilicet propter proximum *illud* in verbis *Etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.* Opponuntur enim quodammodo *illud* et *hoc*. Saepissime vero a Cicerone per prolepsin quandam ante accusativum cum infinitivo positum esse tale *hoc*, apud omnis constat. Cf. *p. Planc.* 13, 33 quo loco eodem librariorum errore in deterioribus codicibus intercidit tale *hoc* in verbis *qui hoc queruntur, libertatem equitis Romani se ferre non posse*, quamquam optimi libri Bavaricus, atque idem noster Erfurtensis veram Ciceronis servarunt lectionem. — Eundem librum Erfurtensem secutus sum etiam in eo, quod pro verbis *eximiam atque illustrem*, quae sic ceteri habent libri, scripsi *eximiam et illustrem.* Ortum est enim istud *atque* ex proximo *Atque.*

Ibidem. §. 16. *ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem Africanum.* Solet quidem pronomen *hic* de eo maxime usurpari, qui praesens est, verumtamen non raro tum etiam eo usi sunt scriptores, cum de aliquo loquuntur, qui iam ante multos quidem annos vixit, quem tamen volunt repraesentare. Id factum est autem saepenumero in viris clarissimis memorandis, quamquam eos patres iam viderant, ut hoc loco in *Africano.* Miror vero, quod nondum attenderunt homines docti, *Scipionem Africa-*

num minorem praeter ceteros a Cicerone solere appellari *hunc Africanum*, velut *d. Rep.* I, 9, 14 *Nam cum P. Africanus, hic Paulli filius, feriis Latinis Tuditano Cos. et Aquillio constituisset in hortis esse, familiarissimique eius ad cum frequenter per eos dies ventitaturos se esse dixissent: Latinis ipsis mane ad eum primus sororis filius venit Q. Tubero.* Perperam ceteri distinguunt *P. Africanus hic, Paulli filius. in Verr. A.* II, *l.* V, 10, 25 *Non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerunda celeritatem, neque ad huius, qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Paulli rationem ac disciplinam, neque ad C. Mari vim atque virtutem, sed aliud genus imperatoris sane diligenter retinendum et conservandum, quaeso, cognoscite.* Est enim *hic, qui postea fuit*, ut apparet, *Scipio Africanus minor. d. Orat.* II, 67, 270 *In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum, hunc Aemilianum, dicit fuisse, et eum Graeco verbo appellat εἴρωνα.* Similes sunt isti loci, quibus pronomen *hic* de is rebus usurpatum est, quae quamquam non sunt praesentes, tamen, quia ante paucos annos gestae erant, omnibus sunt notissimae, tamquam praesentes. Sic in hac ipsa oratiuncula supra 6, 14 intelligenda sunt verba *nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem.* Recordatur enim Catilinae, Clodi, eorumque gregalium. Sic *Tusc.* V, 2, 5 *Cuius in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus.* Sunt *hi gravissimi casus* bella civilia, quae paullo ante reipublicae statum perverterant. Sic *d. Nat. D.* II, 34, 88 *Quodsi in Scythiam aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in coelo singulis diebus et noctibus: quis in illa barbaria dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione?* Repraesentat quasi memorabilem illam sphaeram, de qua creber apud Romanos fuerat sermo. Miror igitur, quod Orellius in *Addendis ad libros d. Nat. D.* p. 123 hunc huius pronominis usum parum videtur perspexisse. — Restat vero, ut ridiculum attingam errorem, in quo multi versati videntur, qui hanc ediderunt oratiunculam. Quis enim credat, interpretes, ut Schroeterum, Moebium, Matthiaeum, alios pluris putasse, ablativum *numero* esse primam personam verbi *numerandi?* Audiatur

ipse Schroeterus, cuius quidem annotatione, ut videtur, homines tam docti quam Moebius et Matthiaeus induci sese passi sunt. Alucinatur autem hoc modo: „Ad verba *Ex hoc* subaudiendum ex praecedentibus est *nescio quo praeclaro ac singulari;* quod minus aptum videtur. Cicero scripsisset: *Ex hoc genere:* Et hic *genere* fortasse culpa librariorum excidit.“ Apparet igitur, Schroeterum illud *numero* habuisse pro prima persona verbi, quare maximo signo interpunxit post *exsistere,* id quod fecerunt etiam Moebius et Matthiaeus, non item Orellius et Reuterus, nec reputarunt illi viri doctissimi, neque Latinum esse *ex hoc* pro *ex hoc genere,* neque dici potuisse *numerare aliquem ex aliquo genere* pro *in aliquo genere*, barbarum denique esse accusativum cum infinitivo post verbum *numerandi* pro simplici accusativo. Taedet profecto significare modo, pendere illum accusativum cum infinitivo *esse hunc* a verbo *contendo*, atque coniungi debere *ex hoc numero,* h. e. *ex exiguo numero horum hominum, in quibus exsistit illud nescio quid praeclarum ac singulare, contendo hunc esse.* Conferri possunt, quae dicam infra ad 12, 31 de simili usu eiusdem vocabuli *numeri.* Denique, quod attinet ad verba *quem patres nostri viderunt,* legi iubeo, quae infra 10, 25 dicentur ad verba *quem nos in concione videmus.*

Ibidem. *Catonem illum senem.* Secutus sum optimum codicem Erfurtensem, qui omittit praenomen *M.*, quod videntur ceteri omnes habere libri. Cum constet enim, in ipso hoc Catone commemorando solere Ciceronem omittere praenomen, tum ibi profecto omitti potest, ubi adiectum est tale quiddam *illum senem.*

Ibidem. *ad percipiendam, colendam virtutem.* Miror, adhuc neminem coniectura assecutum esse, quod nos primi cum optimo codice Erfurtensi scripsimus, quocum omisimus particulam *que*, quam ceteri perperam addunt post *colendam.* Necessario enim fere hoc loco requiritur asyndeton. Dicendum erat enim hoc, litteris illos homines non solum voluisse adiuvari ad *percipiendam* (cognoscendam) virtutem, verum etiam, quod multo est plus, ad *colendam* (exercendam). Atque ut apparet, litterarum studiis facilius percipi virtutem, sic verissimum est, quamquam multo plus est, isdem homines incitari ad colendam virtutem. Utique tamen non cadit in talem locum particula *que.* Quatuor sunt autem asyndetorum genera, si quaeramus de duorum vocabulorum asyndetis, unum, si duo vocabula, quae sine copula ponuntur, efficiunt formulam aliquam atque contraria eis continentur;

alterum, si significabitur, duas quidem tantum res commemorari, sed pluris similis posse addi; tertium, si ex duobus vocabulis posterius multo est gravius quam prius; quartum denique, si in calore quodam orationis id, quod altero ponitur loco, sequitur quodammodo ex priore vocabulo. Ex primo genere haec sunt notissima *equis, viris; opibus, viribus; factis, dictis; honesta, turpia,* similia; ad haec pertinet, quod consules, alii magistratus, sine copula solent iungi; de secundo cf. supra 6, 13 *aleae, pilae; d. Fin.* II, 33, 107 *poëma, orationem cum aut scribis aut legis. d. Inv.* I, 17, 25 *Sin res dabit, non inutile est, ab aliqua re nova aut ridicula incipere aut ex tempore quae nata sit; quod genus strepitum, acclamationem.* Nisi forte cum codice Erfurtensi malis scribere *strepitum et acclamationem.* 25, 35 *si cum potestate, quaeritur, iure an iniuria; felix, clarus, an contra; qualis liberos habeat.* Tertium genus, ad quod noster quoque locus pertinet, perspici potest his exemplis: *d. Fin.* V, 22, 62 *quis est, qui non oderit libidinosam, protervam adolescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiamsi sua nihil intersit, non tamen diligat?* Male unus codex priore loco *protervamque. d. Rep.* I, 31, 47 *mandant imperia, magistratus. p. Rosc. Com.* 4, 11 *Quid est in arbitrio? Mite, moderatum: „Quantum aequius et melius, id dari."* 14, 43 *Circumspicit, aestuat.* Ex quarto genere sunt loci hi *d. Inv.* II, 13, 43 *Ante rem erit, quod simul deverterit, coenarit.* 24, 72 *Quidam imperator, cum ab hostibus circumsideretur, neque effugere ullo modo posset, depactus est cum eis, ut arma et impedimenta relinqueret, milites educeret. p. Quint.* 23, 75 *At contra omnes, quibuscum ratio huic aut est aut fuit, assunt, defendunt. in Caec.* 4, 11 *Assunt, queruntur Siculi universi.* — Nonnunquam autem librariorum culpa intercidisse *que,* non ignoro, ut *d. Leg.* I, 8, 24 *perpetuis cursibus conversionibusque coelestibus exstitisse quandam maturitatem serendi generis humani;* in quem locum nequaquam cadere asyndeton, apparet, idque recte sibi persuaserunt editores plerique.

Ibidem. *adiuvarentur.* De hoc imperfecto satis multa iam disputarunt interpretes ad hunc locum, in primisque Ochsnerus in *Ecl.* p. 111, qui hos simillimos laudavit locos *d. Amic.* 4, 13 *Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur. d. Senect.* 23, 82 *nemo mihi unquam, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum aut duos avos Paul-*

lum et Africanum aut Africani patrem aut patruum aut multos praestantis viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent posteritatem ad se pertinere.

Ibidem. *animi adversionem.* Sic etiam Erfurtensis, ut alii libri manu scripti; ceteri ex aperta correctione habent *animadversionem.* Nec alibi quidem *adversionis* vocabulum reperitur, sed Tullius primus ita loqui ausus videtur. Significat autem *animi adversio* idem fere, quod nos dicimus *Geistesbeschäftigung.* Schroeterum tamen maximo opere offensum esse in his verbis, tamquam insolentissimis, id mirabitur nemo.

Ibidem. *iudicaretis*, h. e. *iudicare deberetis.* Ita plane *p. Rosc. Am.* 18, 50 *Etenim qui praeesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum iudicares.* Sic *p. Mil.* 2, 3 *qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid iudicaretis.* Sic *Brut.* 77, 268 *Vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi et terroris oratio; quaereres in iudiciis fortasse melius, in republica, quod erat, esse iudicares satis.* Similiter *d. Rep.* II, 23, 43 *Nam ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum, sed haut scio an reliquis simplicibus longe anteponendum, si ullum probarem simplex reipublicae genus, sed ita, quoad statum suum retinet.* *d. Inv.* II, 30, 92 *Non enim meum fuit officium, nec mea potestas, cum et id aetatis et privatus essem, et esset summa cum auctoritate et potestate imperator, qui videret, ut satis honestum foedus feriretur.* Pluris locos attulerunt Moebius et Matthiaeus ad hunc locum. Quis igitur non mirabitur, Wolfium *p. Dom.* 51, 132 Schroeterumque ad nostrum locum negasse, talem coniunctivum tali significatione satis esse Latinum? Isto enim loco legitur *detulisses* ea significatione, qua recentiores praeferre solent *deferre debuisses.* Idem Wolfius ex eadem oratione 27, 70 etiam alterum laudat locum, quo talem coniunctivum parum Latinum esse opinatur. Leguntur ibi haec *At etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clarissimus, quam legem esse homines alienissimi a P. Clodio iudicarent Piso et Gabinius, eam nullam esse frater P. Clodi, cum de me ad senatum tecum una retulit, iudicavit.* Sic rectissime ad unum omnes codices. Intelligi voluit enim Cicero hoc *iudicare deberent*, ut tot aliis locis idem eiusdem verbi coniunctivus apud Ciceronem usurpatus est.

acerbius est videre, quam audire, sed etiam, quod ad omnis casus subitorum periculorum magis obiecti sumus, quam si abessemus. Pro *omnibus casibus.* Analogiam porro praebet simillimum *offerendi* verbum, quod saepenumero iunctum invenitur cum praepositione *in;* velut *p. Sest.* 1, 1 *qui auderent se et salutem suam in discrimen offerre pro statu civitatis et pro communi libertate.* 28, 61 *Consule me, cum esset designatus tribunus plebis, obtulit in discrimen vitam suam.* Cf. *Tusc.* I, 15, 32 *Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem.*

Ibidem. *Sed pleni sunt omnes libri.* Sic rectissime Erfurtensis codex; ceteri omnes habere dicuntur *Sed pleni omnes sunt libri,* quam collocationem non esse Latinam nemo non videt, ut mirere, ne Matthiaeum quidem secutum esse librum optimum. Illud *plenus* autem nostro loco absolute dictum esse, post Weiskium omnes sibi persuaserunt editores. Ita prorsus loco simillimo in *Tusc.* I, 6, 11 *A. Quis enim non in eiusmodi causa? aut quid negoti est, haec poëtarum et pictorum portenta convincere? M. Atqui pleni sunt libri contra ista ipsa disserentium philosophorum.* Nos diceremus *voll davon.* Mirum est tamen, isto loco simillimo eandem atque nostro loco deprehendi lectionis varietatem; nam nonnullae editiones pro verbis *Atqui pleni sunt libri* haec habent *Atqui pleni libri sunt,* quam collocationem Latinam esse nego. Idem error deprehenditur *ad Fam.* XII, 1, 1 *sed posita omnia in vobis.* Sic optimus codex Mediceus; in quibusdam tamen editionibus barbare legitur hoc modo *sed posita omnia sunt in vobis.*

Ibidem. *exemplorum vetustas,* h. e. *exempla vetusta.* Cf. *p. Rosc. Com.* 2, 6 *litterarum vetustatem,* h. e. *litteras vetustas.* Alio quodam modo Cicero *d. Orat.* I, 46, 201 dixit *vetustatis exempla.*

Ibidem. *quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accenderet.* Hanc praeclaram lectionem *accenderet,* quam plerique tuentur codices, ipse quoque codex Erfurtensis, miro iudicio omnes fere repudiarunt editores. Videntur enim ignorasse, *accendendi* verbum non modo id significare, quod nos dicimus *anzünden,* verum etiam nostrum *beleuchten,* ut raro idem fere sit quod *collustrare.* Ita plane *d. Rep.* VI, 17, 17 *Hunc ut comites consequuntur Veneris alter, alter Mercuri cursus, infimoque orbe luna, radiis solis accensa, convertitur.* H. e. *collustrata,* quod ipsum verbum de eadem re legitur *d. Div.* II, 43, 91 *Docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate luna*

feratur, terram pene contingens; quantum absit a proxima Mercuri stella, multo autem longius a Veneris; deinde alio intervallo distet a sole, cuius lumine collustrari putatur. Praeterea novissimi editores Forcellini laudant ex Quintiliano hunc locum simillimum *Decl.* 4, p. 89 ed. Burm. *placida conceptum stella signavit, ardens nascentis horam sidus accendit*, h. e. *collustravit.* Nostrum igitur locum vertemus sic *welche alle im Dunkel liegen würden, wenn nicht das Licht der Litteratur sie beleuchtete.* Hoc est: de omnibus illis viris antiquitatis, qui suo exemplo comprobarunt, quod dixi, nihil aliud expetendum esse in vita nisi laudem atque honestatem, nihil sciremus, nisi litterarum lumine accenderentur, illustrarentur, h. e. nisi eorum exempla, litteris prodita, posteritati traderentur. Aptissima est igitur haec plurimorum codicum lectio, ut satis mirari non queam, quod tam multi editores languidum istud *accederet*, quod pauciores atque deteriores libri ex correctione habent, potuerunt defendere ac praeferre.

Ibidem. *ipsa cogitatione hominum excellentium.* Nescio quomodo lexicographi neque hunc neque similis ex Tulli operibus attulerunt locos, quibus eodem modo *cogitationis* vocabulum cum genitivo coniunctum est. Miror igitur profecto, quod Schroeterus non offensus est in hoc genitivo, ut non raro haesit tum, cum aliquam constructionem in Nizolio suo aut Schellero non invenerat. Poterat enim etiam quadam veritatis specie ratiocinari hoc pacto, neminem unquam scriptorem dixisse *cogito hominem* pro nostro *ich denke an einen Menschen*, igitur non potuisse dicere Ciceronem *ipsa cogitatione hominum excellentium, durch den blossen Gedanken an ausgezeichnete Männer.* Sed non sunt pauci loci, quibus eodem plane modo scripsit Cicero; velut *p. Sest.* 4, 11 *Atque ut illius temporis atrocitatem recordari possitis, audite litteras, et vestram memoriam ad timoris praeteriti cogitationem excitate.* Quo loco Lambinus, offensus, ut videtur, in hac structura, pro *cogitationem* scripsit *cognitionem. ad Fam.* V, 13, 5 *quarum enim tu rerum cogitatione nos levare aegritudine voluisti, earum etiam commemoratione lenimur.* 16, 14 *Quodsi tuum te desiderium movet aut si tuarum rerum cogitatione maeres, non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto.* VII, 3, 1 *Sollicitum autem te habebat cogitatio cum offici, tum etiam periculi mei. ad Att.* I, 11, 3 *Mire quam illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat.* Denique *Parad.* I, 2, 10 (quem unum locum ex Cicerone laudavit Forcellinus) *Quaero enim a vobis, num*

ullam cogitationem habuisse videantur ei, qui hanc rempublicam tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri et argenti ad avaritiam, aut amoenitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates. Diversi sunt tamen ab his locis illi, quibus genitivus, qui cum hoc substantivo coniunctus est, respondet accusativo, quocum iungitur verbum *cogitandi.* Nam ut dicitur verbi causa *res novas cogitare, auf Neuerungen sinnen,* sic significat *rerum novarum cogitatio das Sinnen auf Neuerungen;* velut *p. Sest.* 51, 110 *Itaque semper versabatur in rerum novarum cogitatione.* Sic *p. Mur.* 22, 45 *Adiungitur enim accusationis cogitatio, non parva res, sed nimirum omnium maxima.* Eodem modo paullo ante dixerat *scis tu, illum accusationem cogitare?.*

Cap. VII. §. 15. *quam tu ecfers laudibus.* Non dubitavi hanc ex Erfurtensi libro recipere verborum collocationem, quae una est digna Cicerone. Quis enim credat, Ciceronem ita potuisse scribere, ut in ceteris legi dicitur codicibus *quam tu laudibus ecfers?* Nam duo sunt, quae istam collocationem repudiari iubent, primum molestissimus hexametri exitus, quem studiose solet devitare scriptor noster, deinde quod maxima vis non erat ponenda in vocabulo *laudibus,* sed in verbo *ecfers.* Librarios autem solitos esse pravum istum numerum in scriptores inferre, quis ignoret?

Ibidem. *sed tamen est certum, quod respondeam.* Scripsi cum optimo codice Erfurtensi *quod* pro *quid.* Nos diceremus *aber doch ist es etwas gewisses, was ich darauf antworten kann.* Sin scriberetur *quid,* id quidem recte diceretur, quod ad constructionem attinet; nam potest dici *certum est, quid,* ut *in Verr. A.* II, *l.* V, 21, 53, verumtamen sententia non tam esset apta hoc loco, quam quae inest in altera lectione. Ne nos quidem hoc loco diceremus *es ist beschlossen, ich weiss, was ich darauf antworte,* quod tali certe loco nimis graviter esset dictum.

Ibidem. *Ergo.* Hanc verissimam codicis Erfurtensis lectionem sine ulla dubitatione recipiendam duxi pro *Ego,* ut satis male in deterioribus legitur codicibus. Primum enim nimis abrupte post verba illa *sed tamen est certum, quod respondeam* dicerentur haec *Ego — fateor,* si nulla particula cum proximis coniungerentur. Tum nulla potest perspici causa, cur statim ab initio positum sit istud *Ego,* quasi vero vel maxima in eo sita sit vis, quo nihil vidi magis. Quam est contra apta lectio *Ergo!* Nam id ipsum, quod sequitur, est illud certum, quod modo posse se respondere significave-

rat Cicero. Particula *Ergo* igitur arte cohaeret cum verbo *respondeat*, ut haec fere in ea insit sententia *cum igitur ad ea velim respondere*, nos diceremus *Demnach*. Simillimus est notus ille usus particulae *ergo*, ubi post parenthesin ponitur.

Ibidem. *Atque idem ego hoc contendo, cum ad naturam eximiam et illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere.* Pro *Atque*, quod ad unum omnes hoc loco habent codices, non debere scribi *Atqui*, praeclare docuerunt Matthiaeus ad hunc locum atque Handius in *Turs.* I, p. 477, quamquam hic vir doctissimus nescio quomodo lapsus est, si quidem omisso *hoc* illud *idem* esse opinatus est accusativum. Quod autem primus ego ex optimo libro Erfurtensi recepi accusativum *hoc*, quem ceteri omittere dicuntur codices, in hoc qui mecum dissentiat, erit nemo. Primum enim apparet, tale *hoc*, quod supervacaneum videbatur librariis, facillime potuisse omitti, nec sane quisquam docebit, unde irrepserit in hunc locum, nisi ab ipso Cicerone scriptum erat. Deinde non est obscurum, quare Cicero adiecerit accusativum illum: scilicet propter proximum *illud* in verbis *Etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.* Opponuntur enim quodammodo *illud* et *hoc*. Saepissime vero a Cicerone per prolepsin quandam ante accusativum cum infinitivo positum esse tale *hoc*, apud omnis constat. Cf. *p. Planc.* 13, 33 quo loco eodem librariorum errore in deterioribus codicibus intercidit tale *hoc* in verbis *qui hoc queruntur, libertatem equitis Romani se ferre non posse,* quamquam optimi libri Bavaricus, atque idem noster Erfurtensis veram Ciceronis servarunt lectionem. — Eundem librum Erfurtensem secutus sum etiam in eo, quod pro verbis *eximiam atque illustrem*, quae sic ceteri habent libri, scripsi *eximiam et illustrem.* Ortum est enim istud *atque* ex proximo *Atque.*

Ibidem. §. 16. *ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem Africanum.* Solet quidem pronomen *hic* de eo maxime usurpari, qui praesens est, verumtamen non raro tum etiam eo usi sunt scriptores, cum de aliquo loquuntur, qui iam ante multos quidem annos vixit, quem tamen volunt repraesentare. Id factum est autem saepenumero in viris clarissimis memorandis, quamquam eos patres iam viderant, ut hoc loco in *Africano.* Miror vero, quod nondum attenderunt homines docti, *Scipionem Africa-*

num minorem praeter ceteros a Cicerone solere appellari *hunc Africanum*, velut *d. Rep.* I, 9, 14 *Nam cum P. Africanus, hic Paulli filius, feriis Latinis Tuditano Cos. et Aquillio constituisset in hortis esse, familiarissimique eius ad eum frequenter per eos dies ventitaturos se esse dixissent: Latinis ipsis mane ad eum primus sororis filius venit Q. Tubero.* Perperam ceteri distinguunt *P. Africanus hic, Paulli filius. in Verr. A.* II, *l.* V, 10, 25 *Non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerunda celeritatem, neque ad huius, qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Paulli rationem ac disciplinam, neque ad C. Mari vim atque virtutem, sed aliud genus imperatoris sane diligenter retinendum et conservandum, quaeso, cognoscite.* Est enim *hic, qui postea fuit*, ut apparet, *Scipio Africanus minor. d. Orat.* II, 67, 270 *In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum, hunc Aemilianum, dicit fuisse, et eum Graeco verbo appellat εἴρωνα.* Similes sunt isti loci, quibus pronomen *hic* de is rebus usurpatum est, quae quamquam non sunt praesentes, tamen, quia ante paucos annos gestae erant, omnibus sunt notissimae, tamquam praesentes. Sic in hac ipsa oratiuncula supra 6, 14 intelligenda sunt verba *nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem.* Recordatur enim Catilinae, Clodi, eorumque gregalium. Sic *Tusc.* V, 2, 5 *Cuius in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus.* Sunt *hi gravissimi casus* bella civilia, quae paullo ante reipublicae statum perverterant. Sic *d. Nat. D.* II, 34, 88 *Quodsi in Scythiam aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in coelo singulis diebus et noctibus: quis in illa barbaria dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione?* Repraesentat quasi memorabilem illam sphaeram, de qua creber apud Romanos fuerat sermo. Miror igitur, quod Orellius in *Addendis ad libros d. Nat. D.* p. 123 hunc huius pronominis usum parum videtur perspexisse. — Restat vero, ut ridiculum attingam errorem, in quo multi versati videntur, qui hanc ediderunt oratiunculam. Quis enim credat, interpretes, ut Schroeterum, Moebium, Matthiaeum, alios pluris putasse, ablativum *numero* esse primam personam verbi *numerandi?* Audiatur

ipse Schroeterus, cuius quidem annotatione, ut videtur, homines tam docti quam Moebius et Matthiaeus induci sese passi sunt. Alucinatur autem hoc modo: „Ad verba *Ex hoc* subaudiendum ex praecedentibus est *nescio quo praeclaro ac singulari;* quod minus aptum videtur. Cicero scripsisset: *Ex hoc genere:* Et hic *genere* fortasse culpa librariorum excidit." Apparet igitur, Schroeterum illud *numero* habuisse pro prima persona verbi, quare maximo signo interpunxit post *exsistere*, id quod fecerunt etiam Moebius et Matthiaeus, non item Orellius et Reuterus, nec reputarunt illi viri doctissimi, neque Latinum esse *ex hoc* pro *ex hoc genere*, neque dici potuisse *numerare aliquem ex aliquo genere* pro *in aliquo genere*, barbarum denique esse accusativum cum infinitivo post verbum *numerandi* pro simplici accusativo. Taedet profecto significare modo, pendere illum accusativum cum infinitivo *esse hunc* a verbo *contendo*, atque coniungi debere *ex hoc numero*, h. e. *ex exiguo numero horum hominum, in quibus exsistit illud nescio quid praeclarum ac singulare, contendo hunc esse.* Conferri possunt, quae dicam infra ad 12, 31 de simili usu eiusdem vocabuli *numeri.* Denique, quod attinet ad verba *quem patres nostri viderunt*, legi iubeo, quae infra 10, 25 dicentur ad verba *quem nos in concione videmus.*

Ibidem. *Catonem illum senem.* Secutus sum optimum codicem Erfurtensem, qui omittit praenomen *M.*, quod videntur ceteri omnes habere libri. Cum constet enim, in ipso hoc Catone commemorando solere Ciceronem omittere praenomen, tum ibi profecto omitti potest, ubi adiectum est tale quiddam *illum senem.*

Ibidem. *ad percipiendam, colendam virtutem.* Miror, adhuc neminem coniectura assecutum esse, quod nos primi cum optimo codice Erfurtensi scripsimus, quocum omisimus particulam *que*, quam ceteri perperam addunt post *colendam.* Necessario enim fere hoc loco requiritur asyndeton. Dicendum erat enim hoc, litteris illos homines non solum voluisse adiuvari ad *percipiendam* (cognoscendam) virtutem, verum etiam, quod multo est plus, ad *colendam* (exercendam). Atque ut apparet, litterarum studiis facilius percipi virtutem, sic verissimum est, quamquam multo plus est, isdem homines incitari ad colendam virtutem. Utique tamen non cadit in talem locum particula *que.* Quatuor sunt autem asyndetorum genera, si quaeramus de duorum vocabulorum asyndetis, unum, si duo vocabula, quae sine copula ponuntur, efficiunt formulam aliquam atque contraria eis continentur;

alterum, si significabitur, duas quidem tantum res commemorari, sed pluris similis posse addi; tertium, si ex duobus vocabulis posterius multo est gravius quam prius; quartum denique, si in calore quodam orationis id, quod altero ponitur loco, sequitur quodammodo ex priore vocabulo. Ex primo genere haec sunt notissima *equis, viris*; *opibus, viribus*; *factis, dictis*; *honesta, turpia*, similia; ad haec pertinet, quod consules, alii magistratus, sine copula solent iungi; de secundo cf. supra 6, 13 *aleae, pilae*; *d. Fin.* II, 33, 107 *poëma, orationem cum aut scribis aut legis.* *d. Inv.* I, 17, 25 *Sin res dabit, non inutile est, ab aliqua re nova aut ridicula incipere aut ex tempore quae nata sit; quod genus strepitum, acclamationem.* Nisi forte cum codice Erfurtensi malis scribere *strepitum et acclamationem.* 25, 35 *si cum potestate, quaeritur, iure an iniuria; felix, clarus, an contra; qualis liberos habeat.* Tertium genus, ad quod noster quoque locus pertinet, perspici potest his exemplis: *d. Fin.* V, 22, 62 *quis est, qui non oderit libidinosam, protervam adolescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiamsi sua nihil intersit, non tamen diligat?* Male unus codex priore loco *protervamque.* *d. Rep.* I, 31, 47 *mandant imperia, magistratus.* *p. Rosc. Com.* 4, 11 *Quid est in arbitrio? Mite, moderatum: „Quantum aequius et melius, id dari.“* 14, 43 *Circumspicit, aestuat.* Ex quarto genere sunt loci hi *d. Inv.* II, 13, 43 *Ante rem erit, quod simul deverterit, coenarit.* 24, 72 *Quidam imperator, cum ab hostibus circumsideretur, neque effugere ullo modo posset, depactus est cum eis, ut arma et impedimenta relinqueret, milites educeret.* *p. Quint.* 23, 75 *At contra omnes, quibuscum ratio huic aut est aut fuit, assunt, defendunt.* *in Caec.* 4, 11 *Assunt, queruntur Siculi universi.* — Nonnunquam autem librariorum culpa intercidisse *que*, non ignoro, ut *d. Leg.* I, 8, 24 *perpetuis cursibus conversionibusque coelestibus exstitisse quandam maturitatem serendi generis humani;* in quem locum nequaquam cadere asyndeton, apparet, idque recte sibi persuaserunt editores plerique.

Ibidem. *adiuvarentur.* De hoc imperfecto satis multa iam disputarunt interpretes ad hunc locum, in primisque Ochsnerus in *Ecl.* p. 111, qui hos simillimos laudavit locos *d. Amic.* 4, 13 *Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur.* *d. Senect.* 23, 82 *nemo mihi unquam, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum aut duos avos Paul-*

lum et Africanum aut Africani patrem aut patruum aut multos praestantis viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent posteritatem ad se pertinere.

Ibidem. *animi adversionem.* Sic etiam Erfurtensis, ut alii libri manu scripti; ceteri ex aperta correctione habent *animadversionem.* Nec alibi quidem *adversionis* vocabulum reperitur, sed Tullius primus ita loqui ausus videtur. Significat autem *animi adversio* idem fere, quod nos dicimus *Geistesbeschäftigung.* Schroeterum tamen maximo opere offensum esse in his verbis, tamquam insolentissimis, id mirabitur nemo.

Ibidem. *iudicaretis*, h. e. *iudicare deberetis.* Ita plane *p. Rosc. Am.* 18, 50 *Etenim qui praeesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum iudicares.* Sic *p. Mil.* 2, 3 *qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid iudicaretis.* Sic *Brut.* 77, 268 *Vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi et terroris oratio; quaereres in iudiciis fortasse melius, in republica, quod erat, esse iudicares satis.* Similiter *d. Rep.* II, 23, 43 *Nam ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum, sed haut scio an reliquis simplicibus longe anteponendum, si ullum probarem simplex reipublicae genus, sed ita, quoad statum suum retinet.* *d. Inv.* II, 30, 92 *Non enim meum fuit officium, nec mea potestas, cum et id aetatis et privatus essem, et esset summa cum auctoritate et potestate imperator, qui videret, ut satis honestum foedus feriretur.* Pluris locos attulerunt Moebius et Matthiaeus ad hunc locum. Quis igitur non mirabitur, Wolfium *p. Dom.* 51, 132 Schroeterumque ad nostrum locum negasse, talem coniunctivum tali significatione satis esse Latinum? Isto enim loco legitur *detulisses* ea significatione, qua recentiores praeferre solent *deferre debuisses.* Idem Wolfius ex eadem oratione 27, 70 etiam alterum laudat locum, quo talem coniunctivum parum Latinum esse opinatur. Leguntur ibi haec *At etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clarissimus, quam legem esse homines alienissimi a P. Clodio iudicarent Piso et Gabinius, eam nullam esse frater P. Clodi, cum de me ad senatum tecum una retulit, iudicavit.* Sic rectissime ad unum omnes codices. Intelligi voluit enim Cicero hoc *iudicare deberent*, ut tot aliis locis idem eiusdem verbi coniunctivus apud Ciceronem usurpatus est.

Ibidem. *Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum.* Libri pauciores ac deteriores post vocabulum *ceterae* addunt *res*, quod recto iudicio repudiarunt plerique editores. Intelligendae sunt enim *ceterae animi adversiones.* Solitos autem esse et librarios et criticos addere istud *res* tum, cum non putassent, adiectivum aliquod referri posse ad vocabulum, quod supra erat positum, quis ignoret? Cf. enim *d. Off.* II, 6, 20 *At vero interitus exercituum, ut proxime trium, saepe multorum; clades imperatorum, ut nuper summi et singularis viri; invidiae praeterea multitudinis atque ob eas bene meritorum saepe civium expulsiones, calamitates, fugae.* H. e. *ob eas invidias*, atque sic plerique et optimi codices; in duobus tantum codicibus deterioribus legitur *ob eas res. p. Mur.* 13, 29 *Deinde vestra responsa atque decreta et evertuntur saepe dicendo et sine defensione oratoris firma esse non possunt: in qua si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem.* H. e. *in qua defensione*, h. e. *in qua defendendi arte.* Sic cum codicibus omnibus rectissime Matthiaeus, Moebius, Orellius. Ceteri editores ex prava coniectura dederunt *in qua re. d. Fin.* II, 11, 33 *Omne enim animal, simul ut ortum est, et se ipsum et omnis partis suas diligit, duasque, quae maximae sunt, in primis amplectitur: animum et corpus, deinde utriusque partis.* H. e. *duasque partis;* quo loco Manutius et Lambinus satis temere scripserunt *duasque res.* — Sed quod attinet ad verba *neque temporum, neque aetatum omnium, neque locorum*, omnes quidem intellexisse videntur interpretes, illud *omnium* pertinere et ad *temporum*, et ad *aetatum*, et ad *locorum*, verumtamen offensus est in hac collocatione, tamquam parum Tulliana, unus Schroeterus, neque, quod sciam, id vere Tullianum esse docuerunt, qui secuti sunt, editores. Cf. tamen *Tusc.* V, 13, 37 *neque est ullum, quod non ita vigeat interiore quodam motu et suis in quoque seminibus inclusis, ut aut flores, aut fruges fundat, aut bacas.* Tum enim in tribus rebus enumerandis adiectivum aut verbum aliquod, quod quidem ad omnis tris pertinet, cum secunda coniungitur, cum tertia res non est tam gravis quam priores duae. Nam neque in *locis* memorandis tantum erat positum, quantum in *temporibus* et *aetatibus*, neque in *bacis* tantum, quantum in *floribus* et *frugibus.*

Ibidem. *at haec studia.* Recepi ego cum Graevio ex Erfurtensi particulam *at*, quam ceteri deteriores libri dicuntur omittere. Iniuria autem vituperarunt Graevium Heumannus et Ochsnerus in *Ecl.* p. 112, qui neque perspexerant aucto-

ritatem praestantissimi illius codicis, et falsi sunt in eo, quod videntur opinati esse, Ciceronem talibus locis abstinere solitum particula adversativa, quem communem fere hominum doctorum errorem nuper castigavit Handius in *Turs.* I, p. 420, qui similis multos attulit locos; velut *d. Off.* I, 11, 35 *ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt; at Karthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. Philipp.* I, 5, 12 *Qui cum mihi mos notus esset, cumque e via languerem et mihimet displicerem, misi pro amicitia, qui hoc ei diceret; at ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. ad Att.* VII, 11 3 *Fecit idem Themistocles; fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat; at idem Pericles non fecit annum fere post quinquagesimum, cum praeter moenia nihil teneret.* Atque omnium quidem simillimus locus hic est *p. L. Man.* 6, 15 *Nam in ceteris rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem.* Vulgaris est porro error doctorum, opinantium, librarios addere solitos talis particulas, cum contra inde, quod plerisque locis optimi libri eas retinent, deteriores omittunt, sequatur profecto, saepius ab istis omissas quam additas esse talis particulas. Cf. enim *d. Off.* I, 29, 102 *Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur; sed ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque maiora.* Sic plerique atque optimi codices, sed novissimi editores, ut Gernhardus, Beierus, Orellius, temere eiecerunt cum deterioribus libris particulam *sed.* Saepissime vero a librariis et criticis talibus locis particula *autem* omissa est; velut *d. Orat.* I, 27, 125 *Quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur, et, qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum; cuius autem in dicendo aliquid reprehensum est, aut aeterna, aut certe diuturna valet opinio tarditatis.* Omiserat temere Schuetzius in editione maiore cum duobus codicibus particulam *autem*, quam tamen postea restituit. *Orat.* 8, 25 *asciverunt aptum suis auribus opimum quoddam, et tamquam adipale dictionis genus, quod eorum vicini, non ita lato interiecto mari, Rhodii nunquam probaverunt, Graeci autem multo minus, Athenienses vero funditus repudiaverunt.* Sic omnes codices; sed Gruterus, Ernestius, Schuetzius, Orellius eiiciendam esse putarunt particulam adversativam, quae tamen aptissima est. *Graeci* enim quodammodo opponuntur *Rhodiis.*

Ibidem. *agunt*. Sic omnes, ut videtur, codices, ipse quoque codex Erfurtensis, quae lectio ita est vera, ut mirandum sit, tot homines doctos cogitasse de corruptela huius vocabuli. Permulti autem editores, etiam Orellius, pro *agunt* scripserunt *alunt*, quod tamen ne ferri quidem posse quis non videat? Rectissime enim iudicavit Schroeterus, cum in sequenti membro *adolescentiae* opponeretur *senectus*, atque *senectus* studiis *oblectari* diceretur, apparere, hoc loco verbum eiusmodi desiderari, quod, sicut *oblectari* ad *senectutem*, sic ipsum ad *adolescentiam* proprie pertineret. At enim *alunt* studia non solum *adolescentium*, sed etiam *senum*, omniumque cuiusque aetatis hominum ingenia; quare prava esset oppositio in verbis *alendi* et *oblectandi*, in qua re ne quis credat ita peccaturum fuisse Tullium nostrum, concinnorum tam studiosum antithetorum. Aptissimum vero est, quod dixit Cicero, *haec studia adolescentiam agunt;* nos diceremus *diese Studien regen die Jugend auf*. Nam soles *adolescentis*, non item *senes* possunt dici *agere* studia, quos potius *oblectant*. Offenderunt autem ideo tot interpretes in hac lectione, quod nullo alio loco de studiis usurpatum invenerant hoc *agendi* verbum, quae tamen causa prorsus nulla est. Nam sic dici potuisse, id nemo negabit, qui modo meminerit, et saepenumero *excitandi* notionem inesse in verbo *agendi*, et eiusdem verbi forma frequentativa, quae vocatur, *agitare* nonnunquam usos esse translate scriptores Latinos in re simillima; velut apud Senecam in *Epist.* 108 legitur simillima dictio *ingenia per studia agitare*, h. e. *aufregen, anregen*. Non est igitur necesse, cum Guilielmio et Schroetero pro *agunt* scribamus *acuunt*, cum possit defendi omnium librorum scriptura; quamquam non magnopere reprehendo Orellium, quod commendavit hanc elegantissimam coniecturam, eamque prius certe debebat recipere, quam pravam istam *alunt*.

Cap. VIII. §. 17. *Quis nostrum animo tam agresti et duro fuit*. Non dubitavi, ex antiquissimo ac praestantissimo libro Ambrosiano hanc recipere verborum collocationem, quae multo est Cicerone dignior, quam altera ista *tam animo agresti*, quam ceteri habent libri. Id iam sine libri auctoritate faciendum esse existimaverat Lambinus; postea accessit illius libri gravissima auctoritas, qua commotus etiam ipse Orellius merito hanc commendavit collocationem. Multi tamen ideo, vereor, praeferent illam, quod et difficilior sit collocatio, nec appareat, quare librarius hanc usitatam cum illa commutaverit. Sed constat, librarios, quod ad verborum

collocationem attinet, ad arbitrium mira excogitare solitos esse, etsi plerumque optimi libri veras retinent lectiones. Sic supra 6, 14 in omnibus, praeter Erfurtensem, codicibus difficilior illa quidem, non tamen Latina deprehendebatur collocatio *Sed pleni omnes sunt libri* pro *Sed pleni sunt omnes libri.* Nec equidem contenderim, istam quoque collocationem *tam animo agresti* utique non esse Tullianam (nam similia apud nostrum inveniuntur; velut *p. Coel.* 7, 16 *Nunquam enim tam Coelius amens fuisset*), hoc tantummodo dico, talibus etiam locis omnium antiquissimo libro Ambrosiano plus tribuendum esse quam ceteris. Scripsi autem *et* pro *ac* cum eodem libro Ambrosiano, nec id temere. Nam cum notio, quae inest in utroque adiectivo, nimis sit cognata, rectius fere scriptum est *et* quam *ac.* Cf. Handium in *Turs.* I, p. 464.

Ibidem. *ut Rosci morte nuper non moveretur.* Sic aptissime ac verissime codex Ambrosianus (scriptum est autem *moreretur*) pro *commoveretur*, quod perperam ceteri habent codices omnesque ante me editores. Nam potuit quidem populus Romanus *moveri* Rosci morte, non tamen *commoveri. Commovere* enim, si de animi perturbatione usurpatur, est fere nostrum *erschüttern*, *movere* nihil aliud significat nisi *rühren.* Quamquam igitur filius vel optime patris morte dici potest *commoveri*, tamen non item cives Rosci morte *commoti* fuisse putandi sunt. Apparet vero, illud *moveretur* propterea a librario corruptum esse in *commoveretur*, quod in simplici verbo parum magnum pondus situm esse opinatus erat, neque reputaverat, hoc loco de industria Ciceronem verbum lenius praetulisse.

Ibidem. *Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: hos animorum incredibilis motus celeritatemque ingeniorum negligemus?* Quod pro *nos*, quod omnes dicuntur habere codices, ex Ernesti coniectura cum Schroetero, commendante ipso quoque Orellio, scripsi *hos*, in eo qui a me dissentiat, erit nemo, atque ceteri editores, si magis inquisissent in totum locum, profecto vidissent, ferri plane non posse istam codicum lectionem. Sunt enim ita multa, quae reiici istam iubent, ut primo aspectu appareat insulsitas lectionis. Primum quis credat, Tullium, si voluisset significare, cum Roscius corporis motu tantum amorem sibi conciliasset ab omnibus Romanis, etiam eis, qui nulla doctrina exculti essent, neque has artis attigissent, non debere ab hominibus humanitate politis eum negligi, cuius incredibiles essent animi motus, quis autem credat, Tullium

hoc ita dictum fuisse, ut opponeret *nos omnis* et *nos*, quo nihil potuit inveniri putidius et ineptius? Id adeo optime intellexerat Matthiaeus, qui quamquam defendere studet *nos*, tamen pro *a nobis omnibus* ipse fatetur melius scripturum fuisse Ciceronem *ab omnibus*. Miror igitur, quod vir doctissimus, cum hanc huius lectionis absurditatem satis intellexisset, tamen sibi potuit persuadere, tam inepte scripsisse Ciceronem, praesertim cum alia accedant, quae magis etiam dubiam efficiant codicum lectionem. Nam posteaquam in priore membro dixit Cicero *Ergo ille corporis motu*, postulatur sane, ut, quemadmodum *corporis motui* opponantur *animorum motus*, sic *Roscio* opponatur *Archias*. At, si librarios audiamus, ita fuit ineptus Cicero, ut *illi* (Roscio) non opponeret *hunc* (Archiam), sed semet ipsum atque qui aderant; quare credere deberes, Ciceronem duos parietes de eadem fidelia dealbasse, qui quidem dupliciter ineptus istud *nos* et opposuerit illis *nobis omnibus* et *Roscio*. Sed quid plura ad talis ineptias infringendas, quasi vero non esset luce clarius, pro *nos* scripsisse Ciceronem *hos?* Erravit autem carissimus Ilgenius, qui contendit, tum pro *animorum* exspectari debuisse potius *animi;* nam noluit Cicero verba *hos animorum incredibilis motus celeritatemque ingeniorum* referri ad unum Archiam, sed optime iam perspexit Schroeterus, communiter ea accipienda talisque animorum motus intelligendos esse, qualis habuit ipse Archias. Quamobrem in plurali non est quod offendamur. Eodem plane modo infra 12, 31 *in tantis ingeniis*.

Ibidem. §. 18. *de is ipsis rebus, quae tum agerentur.* Sic rectissime cum Iuntina editione Lambinus, Orellius, Reuterus; nam quod cum ceteris editoribus etiam Matthiaeus pro *is* hoc loco propter plurimorum codicum auctoritatem scripsit *his*, id satis mirari non possum. Primum enim non cadere in hunc locum pronomen *hic*, sed *is*, profecto demonstrant verba *quae tum agerentur*, nec dicet quisquam, hunc locum esse ex eo numero, quos supra 7, 16 attigimus, ubi exempla allata sunt, quibus pronomen *hic* de re usurpatum est, quae quamquam est praeterita, tamen propter gravitatem suam quandam atque cum lubenter scriptor rei recordatus sit, in calore orationis tamquam praesens est tractata. Sed hoc loco non ita magnum pondus situm est in istis verbis, nec possunt eae res, quae tum agebantur, quasi repraesentari. Deinde codicum auctoritas in hac re prorsus est nulla. Quis enim etiamnunc ignoret, a librariis utramque formam et *is* et *his* plane eodem modo scribi solitam esse *his?* Nam li-

brarii nullo fere loco agnoscebant formam dativi et ablativi pluralis pronominis *is*, quae Ciceronis tempore, ut satis videtur constare, scripta erat *is*, non *iis*; sed omnibus fere locis, quibus invenerant talem dativum aut ablativum *is*, corruperunt eum in *his*, anteposita littera *h*, quam quidem toties librarii nescio cur solebant praefigere vocalibus. Sic, teste Wundero in *Var. Lect.* p. XII, is, qui scripsit codicem Erfurtensem, pro dativo et ablativo pluralis pronominis *is* nunquam usurpavit formam *is* aut *iis*, sed tantummodo *his*. Cf. 9, 22, quo loco in corruptis omnium codicum verbis *marmoratis laudibus* pro certissima lectione *marmore*. *At is laudibus* apertissima sunt vestigia scripturae *is* pro *iis*.

Ibidem. *Quae vero accurate cogitateque scripsisset*. Praeter Ciceronem, qui hoc uno loco adverbium *cogitate* usurpavit, nemo unquam scriptor eo videtur usus esse. Apud unum, quod sciam, Plautum interdum hoc adverbium reperitur, ut communis sermonis magis videatur proprium fuisse quam sublimioris orationis. Nec tamen ideo de corruptela cogitandum est, cum et istud potissimum vocabulum vel aptissimum sit hoc loco, et alia simillima apud Ciceronem inveniantur adverbia, quae analogiam praebent, verbi causa *considerate*. Non igitur opus est coniectura *cogitata*, in quam quis potest incidere, si turbas recordabitur, quae propter idem participium, praegresso adverbio, ortae sunt *d. Off.* I, 8, 27 *Sed in omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitata fiat iniuria.* Sic rectissime omnes fere atque optimi codices, sed ex correctione alii paucissimi habent *cogitato*, quod ne Latinum quidem est, alii, atque cum his non recte etiam Orellius, *cogitate*. Existimaverit igitur quispiam, ut illo loco, sic nostro quoque adverbium *cogitate* deberi librario, qui offendisset in participio *cogitata*, antegresso adverbio *accurate*. Potuit quidem id fieri, at opus esse tali mutatione, quis contendat, cum praesertim non facile Latini dixerint *orationem cogitatam*, ut nos dicimus *eine gedachte Rede*, pro *oratione meditata?*

Ibidem. *perveniret*. Sic verissime optimus codex Erfurtensis et unus Oxoniensis pro *pervenirent*. Unus autem fere offensus erat in vulgata Heumannus, qui rectissimo iudicio etiam sine libri auctoritate scribendum esse contenderat *perveniret*. Atque cum parum sit apta altera lectio, magnopere miror, quod ne Matthiaeus quidem secutus est librum optimum. Quis enim unquam dixerit scriptor *opera huius hominis pervenerunt ad laudem Ciceronis*, *die Schriften die-*

ses Mannes gelangten zum Lobe des Cicero pro *opera huius hominis pervenerunt ad laudem operum Ciceronis?* Nec etiam hercle optime dicerentur *opera alicuius pervenisse ad laudem Ciceronis.* Recepta autem lectione, quae tanta nititur auctoritate, nihil est aptius; pervenit enim Archias propter ea, quae accurate cogitateque scripserat, ad veterum scriptorum laudem; hoc est, eadem laus Archiae contigit, quae veteribus scriptoribus. Ceterum apparet, quemadmodum ex *perveniret* in deterioribus libris potuerit fieri *pervenirent*, scilicet propter proximum pluralem pronominis *ea*, qui traxit etiam pluralem verbi. Cf. *Brut.* 74, 259.

Ibidem. *Atque sic.* Ex Erfurtensi codice compluribusque aliis pro *Atqui*, quod plerique praetulerunt editores, cum Schroetero et Schuetzio, probante Ilgenio, commendante Orellio, recepi *Atque*, nec possum consentire cum Handio in *Turs.* I, p. 518, qui defendere studuit istam deteriorum codicum lectionem. Iam in hoc erravit vir doctissimus, quod opinatus esse videtur, Schuetzium ex suo ingenio dedisse *Atque* pro *Atqui.* Nam profecto aliquot codicum atque etiam optimi Erfurtensis haec lectio nititur auctoritate; quare, si potest defendi *Atque*, non est quod ad deteriorum librorum confugiamus scripturam. Atqui illa non solum facilis est ad defendendum, sed etiam ostendam, vix ferri posse alteram. Nulla est enim oppositio his in verbis atque proximis, nec intelligo, quomodo potuerit Handius hoc loco istud *Atqui* explicare sic: „ab altera parte sic etiam accepimus." Supra enim 8, 17 Cicero haec dixerat *Quodsi ipsi haec neque attingere neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.* Ad hoc magis etiam confirmandum addit, praeterea a summis hominibus eruditissimisque traditum esse, poëtam natura ipsa valere. Talibus autem locis locum habet particula *atque*, nos diceremus *auch*. Vehementer tamen dubitandum est, fueritne apud Ciceronem particula *atqui* tum etiam usurpata, cum confirmatio rei ex altera parte additur, et non opponitur. Unus certe locus, qui affertur, *d. Amic.* 19, 68 admodum est dubius.

Ibidem. *et quasi divino quodam spiritu inflari.* Sic rectissime plerique editores cum multis codicibus, etiam ipso codice Erfurtensi; corruptum est autem hoc *inflari* in *afflari* ab is, qui non arbitrati erant, posse sic dici etiam *inflari*, neque reputaverant, Ciceronem reddere voluisse Graecum verbum ἐνθουσιάζεσθαι. Eodem plane modo locutus est Cicero *d. Div.* I, 6, 12 *Est enim vis et natura quaedam, quae*

cum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura praenuntiat. Quo loco satis temere Orellius commendavit Hereli correctionem *afflatu.*

Ibidem. *quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videntur.* Scripsi *videntur* cum uno codice Erfurtensi pro pravo coniunctivo *videantur*, quasi vero Enni haec possint esse verba, aut verborum eius sententia. Ennius enim profecto tantummodo poëtas quodam loco appellasse censendus est *sanctos;* id suo iure Ennium fecisse dicit Cicero propterea *quod quasi divino quodam spiritu inflantur*, et *quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videntur.* Quis autem non videat, quare illud *videntur* in deterioribus libris correctum sit in *videantur?* Nempe propter integrum hexametrum *munere commendati nobis esse videntur*, quem ideo recte sibi visi sunt correxisse librarii isto modo, quod sciebant, ipsum Ciceronem quodam loco improbasse talis hexametros in soluta oratione. Quasi vero omnes hexametri, qui propter quandam ipsius Ciceronis negligentiam in eius operibus deprehenduntur, sint corrigendi! Atque in eadem hac oratiuncula alter etiam legitur hexameter, qui non magis debet mutari, 1, 1 *in qua me non infitior mediocriter esse.*

Ibidem. §. 19. *Saxa et solitudines voci respondent; bestiae saepe immanès cantu flectuntur atque consistunt.* Hanc verissimam lectionem *voci*, quam recte plerique editores ex multis codicibus Quintiliani, apud quem haec Ciceronis verba quinquies afferuntur, receperunt, cum codices Ciceronis ante collatum a Wundero Erfurtensem omnes habere dicerentur *voce*, confirmavit optimus ille codex, ut appareat, quanta eius ad hanc oratiunculam emendandam habenda sit auctoritas. Iam miraberis, Quintilianum IX, 4, 45 ad hunc Ciceronis locum haec annotavisse *Magis id insurgebat, si verteretur; nam plus est saxa, quam bestias commoveri. Vicit tamen compositionis decor.* „Estne tandem, inquies, plus, quod dixit Cicero, *saxa et solitudines voci respondere*, quam *bestias immanis cantu flecti atque consistere?* Nihil minus; nam quid magis situm est in rei natura, quam saxa, ubi vox aliqua emissa sit, voci respondere? Vellem vero, res ista non esset tam consentanea, si quidem satis est ineptum, id tamquam singulare quiddam de poëtae voce praedicare, cum cuiusvis voci, etiam asini, ut dicit Schroeterus, saxa respondeant. Caderet ista Quintiliani reprehensio in Ciceronem, si scripsisset hoc modo *Saxa et solitudines voce ducuntur*, ut intelligerentur Orphei miracula; tum enim priore

membro plus dictum esset, quam posteriore. Ac forsitan inde fluxerit Quintiliani error, quod revera opinatus est, hoc loco cogitasse Ciceronem de illa fabula, quod tamen non patiuntur verba, quae in codicibus leguntur. A Quintiliano autem induci se facile passum esse Schroeterum, ut illius grammatici nixus auctoritate satis recte videretur cavillari posse, non miror, sed Matthiaeum etiam in eadem re haesisse, est profecto mirandum." Sic memet ipsum primo disputasse de hoc loco, non infitior; ac tamen potest optime ita defendi Cicero, si sumatur, auditores, cum orator verba illa elocutus sit *Saxa et solitudines* (h. e. saxis circumdatae solitudines) *voci respondent*, attendisse ad eam solam imaginem, quam Cicero repraesentare voluerit, nec facile eos in calore orationis meminisse, cuiusvis voci respondere saxa. Atque si illud echo, quod vocatur, ad solam poëtae vocem referamus, praeclara in istis verbis inest sententia haec: saxa, quamquam sensibus carere videntur, tamen ita poëtae voce commoventur, ut linguae recipiant usum, atque ostendant, una sentire se cum poëta. Si locum ita intelligamus, sicut certe intelligendus est, tum profecto, id quod sensit optime Quintilianus, plus est saxa, sensu carentia, voci respondere, quam bestias, sensu saltem gaudentis, cantu flecti. Nequaquam tamen cum Quintiliano, Schroetero, Matthiaeo offendendum erit in eo, quod gravius illud prius dictum est quam lenius, quippe cum *hominibus, institutis rebus optimis*, prius opponenda fuerint, quae gravissima erant: *saxa*, sensu carentia, non tamen *bestiae*, quae sensum saltem cum hominibus communem habent. Etenim is locis, quibus est oppositio, in priore membro, si quidem duo afferenda sunt, gravius profecto prius quam id, quod lenius est, debet commemorari.

Ibidem. *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant.* Cf. *d. Orat.* III, 11, 42 *Me autem tuus sonus et suavitas ista delectat; verum id affert ratio, docent litterae, confirmat consuetudo et legendi et loquendi.* *Tusc.* II, 4, 11 *Nam efficit hoc philosophia: medetur animis, inanis sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores.* *in Verr. A.* II, *l.* III, 93, 217 *Quamobrem non ego invideo commodis tuis, si quae ad te lege venerunt; iniuriam queror, improbitatem coarguo, avaritiam in crimen et in iudicium voco.* *p. L. Man.* 6, 15 *Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit.* 8, 26 *Multa praetereo consulto, sed ea*

vos coniectura perspicitis, quantum illud bellum factum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes, novus imperator vester accipiat, vetere expulso exercitu. Talem igitur inanem verborum strepitum, quem quidem perperam notant Schroeterus et Matthiaeus ad nostrum locum, videtur amasse Cicero. Significare voluit autem orator hoc, *Colophonios*, parum adiutos documentis, nihil aliud agere nisi *dicere*, civem esse suum Homerum, *Chios* aliqua veritatis specie illum ut suum *vindicare*, *Salaminios* tamquam debitum sibi illum *repetere*, unos *Smyrnaeos confirmasse* atque comprobasse, esse Homerum civem suum. Est igitur vel maxime Tullianum, tum variare verba, cum cuiusvis verbi notio cadit in illud enuntiationis membrum, in quo est positum.

Ibidem. *itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt.* Pro *eius*, quod ad unum omnes habent codices, Lambinus temere scripsit *ei*, nec tamen cuiquam id recte factum esse persuasit, praeterquam Schellero, qui in lexico istam mutationem probavit. Non raro enim, ac saepius quidem quam altera dicendi ratio, apud Ciceronem aliosque scriptores invenitur dictio *templum alicuius dedicare*; velut *d. Nat. D.* III, 17, 43 *Ne Nymphae deae quidem igitur? At earum templa sunt publice vota et dedicata;* et paullo post *Quid igitur? ne ceteri quidem ergo dii, quorum templa sunt dedicata?* 20, 52 *Itaque et Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit. d. Leg.* II, 11, 28 *quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt. in Verr. A.* II, *l.* IV, 28, 64 *ut, cum audissent, simulacrum Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent.* Contra *templum alicui dedicare d. Nat. D.* III, 5, 13 *nonne ab A. Postumio aedem Castori et Polluci in foro dedicatam, nonne senatus consultum de Vatinio vides? d. Leg.* I, 1, 3 *Romulus Proculo Iulio dixerit, se deum esse et Quirinum vocari, templumque sibi dedicari in eo loco iussit.* Translate *d. Nat. D.* II, 26, 66 *Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est.* Atque ita nimirum differt utraque loquendi ratio, ut, si dicatur *templum alicui dedicatur* intelligatur *templum alicui aedificatur ac dedicatur*, contra *templum alicuius dedicatur* significet *templum, quod aedificatum est, alicui dedicatur.* Nostro loco igitur verba *itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt* debent explicari hoc modo *itaque etiam delubrum, quod in oppido ei aedificaverant, ei dedicaverunt.* Nam priusquam templum possit dedicari, debet esse aedificatum.

Cap. IX. ead. §. *nos hunc vivum, et qui voluntate et*

legibus noster est. Pro *et qui*, quod sine dubio plerique habent codices, optimus etiam Erfurtensis, cum Cratandro temere omnes fere praeter Lambinum editores scripserunt *qui et*, quasi vero non vel optime possit dici *hunc vivum*, *et qui voluntate et legibus noster est*, h. e. *et quidem qui voluntate et legibus noster est.* Non minus temere prorsus omittit Iuntina editio particulam *et*.

Ibidem. *repudiamus.* Sic ad unum omnes codices, etiam Erfurtensis; sed multi exstiterunt homines docti, etiam Matthiaeus, eorumque rationem non improbavit Orellius, qui admodum temere pro *repudiamus* scribendum esse existimarunt *repudiabimus*, quemadmodum in hac ipsa oratione locutus est Cicero et supra 8, 17 *Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: hos animorum incredibilis motus celeritatemque ingeniorum negligemus?* et infra 10, 22 *Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem, maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiiciemus?* Rectissimo autem iudicio defendit praesens tempus Klotzius ad librum *d. Senect.* 9, 29 qui quidem dicit, quod tempore praesenti ecferatur, id magis iam ne fiat cavendum esse, quod autem futuro dicatur, id quoniam nondum fiat, sed tantum sit futurum, tantam gravitatem non habere; itaque illud cum maiore indignatione pronuntiari; nec quicquam impedivisse Ciceronem, quin eandem sententiam modo fortius, modo remissius exprimeret. Atque adeo prius offensioni locus fuisset, si usurpasset hoc quoque loco Cicero futurum, propterea quod admodum ingrata accidisset ter repetita prorsus eadem eiusdem sententiae conformatio; quare hoc contendo, et rectissime et aptissime variasse Ciceronem tempus futurum et praesens. Simile est autem praesens loco laudato ex libro *d. Senect.*, quem sic ex optimis libris constituit Klotzius *Quid enim est iucundius senectute stipata studiis iuventutis? An ne has quidem viris senectuti relinquimus, ut adolescentis doceat, instituat, ad omne offici munus instruat?* Pro *relinquimus* libri deteriores atque editores praeter Victorium et Klotzium omnes habent *relinquemus*, quod nimis diu retentum erat in editionibus. Idem praesens restituendum esse mihi persuasi loco, qui eodem plane modo atque noster conformatus est, *d. Fin.* I, 4, 12 *An „partus ancillae sitne in fructu habendus“ disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam, M.* que *Manilium, ab hisque M. Brutus dissentiet: haec, quae vitam continent omnem, negliguntur?* Sic idem Victorius, qui dudum in Ca-

tone maiore veram receperat lectionem, et sine dubio, ut solet fere, nixus codicum auctoritate, ceteri omnes ex correctione, ut videtur, habent *negligentur.* Utique tamen conferantur hi loci, quibus similiores inventum iri nego, *p. Font.* 8, 16 *An vero illi equites Romani, quos nos vidimus, qui nuper in republica iudiciisque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro testi non crederent: vos Volcarum atque Allobrogum testimoniis non credere timetis?* Ad unum omnes codices hoc loco habent *timetis*, et tamen Orellius, ut nostro loco *repudiabimus* pro *repudiamus*, sic illo *timebitis* pro *timetis* scripsisse Ciceronem opinatur. Sic *Philipp.* I, 10, 24 *Ergo haec defendimus: eas leges nos, qui defendimus acta Caesaris, evertendas putamus?* Codices omnes, ut videtur, habent *putamus*, ac tamen Ernestius et Schuetzius cum solis editionibus Veneta et Iuntina receperunt *putabimus,* quod hoc quidem loco Orellius recte improbavit, cur non aliis quoque?

Ibidem. §. 20. *dixisse aiunt.* Cf. *d. Nat. D.* III, 7, 18 *quod Chrysippum dicere aiebas.* *d. Senect.* 18, 63 *Lysandrum dicere aiunt solitum.* *d. Amic.* 13, 46 *Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumanius.* *d. Off.* I, 26, 90 *Panaetius quidem Africanum auditorem et familiarem suum solitum ait dicere.* *Acad.* II, 17, 55 *ais Democritum dicere.* *d. Fin.* I, 11, 39 *Hoc ne statuam quidem dicturam pater aiebat.* II, 17, 88 *Ait enim, si uratur, „Quam hoc suave!“ dicturum.* V, 27, 80 *quem quidem, cum summis doloribus conficiatur, ait dicturum „Quam suave est!“* *d. Orat.* II, 3, 14 *Scaevolam enim ita dicere aiebat.* III, 24, 93 *ut nescio quos dicere aiebant.* *in Verr. A.* I, 10, 29 *Nam hoc Verrem dicere aiebant.* *A.* II, *l.* III, 28, 69 *quam rem in iudicio dicturum aiebat.* Male hoc loco Zumptius contra codices optimos et contra Ciceronis dicendi consuetudinem *dicturum dicebat;* nam uno, quantum scio, loco *p. Planc.* 14, 35, quo id invenitur, quoque haec leguntur *quod quisque dixit, me id dixisse dicunt,* causa apertissima est, cur sic potissimum locutus sit orator; scilicet vis quaedam posita est in ter repetito verbo *dicendi.* *p. Sest.* 10, 23 *eosdemque praeclare dicere aiebat.*

Ibidem. *ille Marius idem.* Tandem pro pravo isto *item* recipiendum erat verissimum illud *idem,* quod praebet omnium praestantissimus codex Ambrosianus. Nego enim, etiam ferri posse istud *item*, propterea quod ipsius Ciceronis verbis repugnaret. Nam si verum esset, quod vulgo legitur *ille Marius item eximie L. Plotium dilexit* sequi debebat

profecto, a Mario *eximie* dilectum esse etiam Archiam. At id nequaquam potest concludi ex illis Ciceronis verbis *et ipsi illi Mario iucundus fuit.* Nam si quis cui tantum dicitur esse iucundus, non sane is etiam eximie ab isto diligitur. Dictiones igitur *iucundum esse alicui* et *eximie diligi ab aliquo* nimium quantum differunt; quare insulsitatem lectionis *item* nemo non perspiciet. Atque hanc istius scripturae difficultatem pauci illi videntur sensisse librarii, qui omiserunt vocabulum *item.* Quodsi novissimi editores, ut Moebius, Orellius, Matthiaeus, Reuterus, magis inquisissent in totum huncce locum, haut sane reiecissent verissimam eius libri lectionem, cuius tanta est auctoritas. Recentiores quidem pro verbis *ille Marius idem* sine dubio scripsissent *idem ille Marius,* sed Cicero, qui verba ita solet collocare, sicut ratio postulat, eam praetulit verborum collocationem, quae longe est aptior. Nam si scripsisset *idem ille Marius,* visus esset cogitasse de hac oppositione *idem ille Marius, non alius Marius.* Id tamen parum fuisse aptum, quis non videat? Nihil aliud enim significandum erat, nisi Marium, cui quidem supra tantummodo iucundum fuisse dixerat Archiam, ob similem causam eximie dilexisse L. Plotium. Cf. locus simillimus *p. Lig.* 7, 20 *Utrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligarium ex Africa exire, an vos in Africam non venire? Poteramusne, inquies, cum senatus censuisset? Si me consulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium senatus idem legaverat.* Rectissime codices omnes habent *senatus idem,* sed Weiskius pessimam Patrici recipiendam duxit coniecturam *item,* quam hoc quoque loco Latinam esse nego. Nam ut recte diceretur *item,* supra debebat commemorare Cicero, senatum praeter Ligarium alium etiam legavisse. At nihil minus factum est, nec Cicero quicquam aliud dicere voluit, nisi eundem senatum, qui censuisset Ligarium ex Africa exire, legavisse Ligarium. Intelligis igitur, in vocabulo *idem* postposito interdum ita fuisse offensos criticos, ut scripserint *item,* nec reputaverint, quid interesset inter *idem* et *item.*

Ibidem. §. 21. *Lucullo imperante.* Audiatur de his verbis doctissimus Schroeterus, qui quidem sic alucinatur: „Hoc modo *imperare* nonnisi imperatores perpetui dicuntur, qui illo tempore, quo Archiae causa putatur dicta esse, adhuc nulli fuerunt. Ubi quidem impostor se incaute ipsum indicare videtur, non temporibus reipublicae liberae, sed imperantibus iamtum principibus scribere.“ Non equidem miror, Schroeterum haesisse in his verbis, sed miror interpre-

tes, qui post Schroeterum exstiterunt, in quo quidem numero homines sunt doctissimi, hos igitur miror, quod non potuerunt, sicut ex silentio eorum colligas, ostendere, esse vere Tullianum, in quo Schroeterus tantopere offensus erat. Cf. enim p. *Font.* 3, 6 *Exercitus praeterea Cn. Pompeii maximus atque ornatissimus hiemavit in Gallia, M. Fonteio imperante. ad Att.* VI, 1, 2 *Quid enim potest esse tam dissimile, quam illo imperante exhaustam esse sumptibus et iacturis provinciam; nobis eam obtinentibus nummum nullum esse erogatum nec privatim nec publice.* Sic apud Caes. *B. G.* VII, 17 *m. sic se compluris annos illo imperante meruisse, ut nullam ignominiam acciperent, nunquam infecta re discederent.* Sic apud Cornel. Nep. XIV, 5, 3 *Haec Pandates, gazae custos regiae, amicus Datami, perscripta ei mittit, in quibus docet: eum magno fore periculo, si quid illo imperante in Aegypto adversi accidisset.* Atque ut verbi causa *Numa regnante* ita differt a *Numa rege*, ut illud fere significet *Numa regem se gerente*, hoc nihil aliud designet nisi *regiam eius dignitatem*, sic, ubi dicitur *Lucullo imperante*, is significatur, *qui imperatorem se gerit*, sin dicitur *Lucullo imperatore*, is, *qui est imperator.*

Ibidem. *Pontum, et regiis quondam opibus, et ipsa natura [regionis] vallatum.* Uncis circumdedi vocabulum *regionis*, non quo per se sit ineptum, sed quia aperta sunt indicia corruptelae et in proximo vocabulo *regiis*, et in inepta scriptura optimi codicis Erfurtensis, in quo pro *natura regionis* legitur *naturae regione.* Persuasi mihi enim, vocabulum *regionis*, quod, ut suspectum fit lectione libri optimi, sic ingratissimum est propter allitterationem cum vocabulo proximo *regiis*, quodque prorsus est supervacaneum, deberi librario, qui casu quodam repetierat vocabulum *regiis.* Oscitans enim librarius scripserat ex errore non insolito *et ipsa natura regiis vallatum*, quod cum a librariis secutis absurdum esse agnosceretur, alii correxerunt *ipsa natura regionis*, alii infelicius etiam *ipsa naturae regione.* Cf. Caes. *B. G.* II, 29 *in. cunctis oppidis castellisque desertis sua omnia in unum oppidum, egregie natura munitum, contulerunt.*

Ibidem. *atque.* Scripsi *atque* pro *ac* cum optimo codice Erfurtensi.

Ibidem. *L. Lucullo dimicante.* Mire cavillatur Schroeterus in his verbis, negans Lucullum potuisse dici *dimicasse*, *dimicare* exercitum, non imperatorem. Plerumque quidem, hoc facile concedo, non *dimicant* imperatores, tamen, si revera *dimicavit* imperator Lucullus, etiam dici potest *dimi-*

casse. Nam quod supra in verbis *Lucullo imperante* significaverat Tullius, Lucullum non solum fuisse imperatorem, verum etiam sese gessisse imperatorem, id magis illustravit his verbis *L. Lucullo dimicante.*

Ibidem. *incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis.* Cf. *p. Mur.* 15, 33 *Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, cum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret, mediocri certamine et parva dimicatione commissam arbitraris?* Quemadmodum autem proprie differant *apud Tenedum* et *ad Tenedum*, unus videtur perspexisse Ruddimannus II, p. 282, qui quidem dicit, *ad* proprie significare in loco proximo, *apud* circa vel prope; quamquam nescio quomodo contrarium esse contendit discrimen Handius in *Turs.* I, p. 90. Nam illud discrimen, quod posuit Ruddimannus, ex multis locis praeclare intelligitur. Cf. Cic. *p. Coel.* 15, 36 *Habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco parasti, quo omnis iuventus natandi causa venit.* Nos diceremus *unmittelbar an der Tiber; apud Tiberim, in der Nähe der Tiber,* perversam, ut ex toto loco apparet, praebuisset sententiam. Sic *in Verr. A.* II, *l.* V, 41, 107 *Atque eum vident sedere ad latus praetoris*; h. e. *unmittelbar an der Seite des Prätors.* Ineptissimum aliquid fuisset *apud latus praetoris*, atque omnino nullo, quod sciam, loco invenitur iunctura *apud latus.* Quod tamen attinet ad eos locos Tullianos, quibus *apud* cum urbium nominibus coniunctum est, non sunt tam pauci, quam indocti pueros solent docere magistri, quorum quidem iudicio talibus locis prorsus abstinendum est illa praepositione, neque reputant, tum melius dici *apud*, tum *ad.* Conferatur exempli causa locus *ad Fam.* XV, 4, 4 *Itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra feci.* Apparet, cur hoc loco dictum sit *apud oppidum Cybistra*, non *ad oppidum Cybistra.* Nam cum Cybistra in ipsis radicibus Tauri essent sita, verbis *non longe a Tauro*, h. e. *nicht weit vom Taurus*, non igitur ad ipsas radices montis, respondent haec *apud oppidum Cybistra*, h. e. *in der Nähe der Stadt Cybistra*; quamquam eadem castra idem Cicero aliis locis dixit posita esse *ad Cybistra*, nec id falso; velut *ibid.* 2, 2 *Itaque cum exercitu per Cappadociae partem eam, quae cum Cilicia continens est, iter feci, castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi*; et 4, 6 *Cum autem ad Cybistra propter rationem belli quinque dies essem moratus.* Poterat enim Cicero impune variare utramque dicendi rationem, cuius discrimen per se

est exiguum, tum scilicet, cum nihil accedebat, quod alteram utram praeferri postularet, sicut accesserant 4, 4 verba *non longe a Tauro*, quae postularunt *apud Cybistra*, non *ad Cybistra*. Intelliges igitur, nostro loco perinde dici potuisse *ad Tenedum*, atque in oratione *p. Mur.*, ac vicissim. Porro conferri iubeo hos locos, quibus *apud* cum nominibus urbium, fluviorum, cet. coniunctum est: *d. Nat. D.* II, 2, 6 *Idque evenit non temere nec casu, sed quod praesentes saepe dii vim suam declarant, ut et apud Regillum bello Latinorum, cum A. Postumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano proelio dimicaret, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt.* III, 5, 11 *At enim praesentis videmus deos, ut apud Regillum Postumius, in Salaria Vatinius; nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram proelio;* et paullo post *Ergo et illud in silice, quod hodie apparet apud Regillum tamquam vestigium ungulae, Castoris equi credis esse?* et 13 *Nam de Sagra Graecorum etiam est vulgare proverbium, qui, quae affirmant, certiora esse dicunt, quam illa, quae apud Sagram. d. Senect.* 10, 32 *cum tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas M'. Acilio Glabrione consule. d. Off.* III, 30, 109 *cum male pugnatum apud Caudium esset. d. Fin.* I, 7, 23 *ita prorsus existimo, neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenerit, aut torquem illum hosti detraxisse, ut aliquam ex eo perciperet voluptatem corpore, aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Veserim propter voluptatem.* De eadem pugna Cicero dixit *ad Veserim d. Off.* 31, 112 *cuius tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati. Tusc.* I, 39, 94 *Apud Hypanim fluvium Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci. ad Fam.* II, 10, 3 *imperator appellatus apud Issum.* V, 12, 5 *Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat?* XV, 4, 2 *cum sine centurione ullo apud Philomelium consedissent;* et paullo post *ut castra in Lycaonia apud Iconium faceret;* et 8 *cum castra apud Epiphaneam fecissem;* et 9 *castra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum..* XVI, 3, 1 *Nos apud Alyziam unum diem commorati sumus. ad Att.* V, 20, 2 *exercitum lustravi apud Iconium;* et 3 *ea ipsa castra, quae habuerat apud Issum Alexander.* XVI, 7, 5 *Erat enim cum suis navibus apud Haletem fluvium.* — Atque haec quidem hactenus de hoc Tulliano usu praepositionis *apud*, neque tamen possum, quin aliorum quoque scriptorum hanc particulam usurpandi attingam rationem, praesertim apud alium aliam. —

Caesar in *commentariis* suis abstinuit fere particula *apud*, ubi id significandum erat, quod nos dicimus *bei*, *in der Nähe*, ac talibus locis usus est tantummodo particula *ad*, cum ab uno loco discessi, qui legitur *B. C.* III, 57 *in.* *Haec cum in Achaia atque apud Dyrrhachium gererentur.* Apparet autem, cur Caesar decesserit de consuetudine sua, scilicet ut vitaret pravum sonum *atque ad.* Praeterea in epistola Caesaris *ad Oppium* apud Cic. *ad Att.* IX, 7, C, 1 *Gaudeo mehercule vos significare litteris, quam valde probetis ea, quae apud Corfinium sunt gesta.* Contra *B. C.* I, 23 *ext.* *septem omnino dies ad Corfinium commoratus.* 24 *in.* *Pompeius is rebus cognitis, quae erant ad Corfinium gestae, Luceria proficiscitur Canusium.* III, 10 *in.* *Demonstravimus, L. Vibullium Rufum, Pompeii praefectum, bis in potestatem pervenisse Caesaris atque ab eo esse dimissum, semel ad Corfinium, iterum in Hispania.* 58 *in.* *quo facilius equitatum Pompeianum ad Dyrrhachium contineret;* multisque aliis locis. — Prorsus contrario modo scribere solitus est Cornelius Nepos, qui ut saepissime dixit *apud urbem,* ita nullo loco apud hunc scriptorem ista significatione invenitur *ad urbem.* Cf. II, 3, 2 *apud Artemisium*; 4 *apud Salamina*; 5, 3 *apud Salamina;* III, 2, 1 *apud Salamina et apud Plataeas;* IV, 1, 2 *apud Plataeas* et 3 *apud Plataeas;* V, 2, 2 *apud flumen Strymona et apud Mycalen.* VI, 1, 4 *apud Aegos flumen;* 3, 4 *apud Haliartum.* VII, 5, 3 *apud Samum;* 7, 1 *apud Cymen;* 8, 1 *apud Aegos flumen;* IX, 1, 2 *apud Aegos flumen;* 4, 4 *apud Cnidum;* et 5, 2 *apud Cnidum;* XI, 2, 1 *apud Corinthum;* XII, 1, 1 *apud Thebas.* XV, 8, 3 *apud Leuctra;* 9, 1 *apud Mantineam;* 10, 3 *apud Cadmeam.* XVII, 4, 5 *apud Coroneam*; 6, 1 *apud Leuctra;* XVIII, 5, 1 *apud Hellespontum* et *apud flumen Nilum;* XX, 2, 4 *apud Crimissum flumen;* XXI, 1, 2 *apud Massagetas;* XXII, 1, 3 *apud insulas Aegatis*; XXIII, 4, 1 *apud Rhodanum* et *apud Padum;* et 2 *apud Trebiam;* et 3 *apud Trasimenum;* 5, 3 *apud Venusium;* 6, 1 *primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam;* et 3 *apud Zamam;* XXIV, 1, 2 *apud Senam;* XXV, 9, 1 *apud Mutinam.* — Ita plane Sallustius; velut *B. I.* 20 *in.* *apud Numantiam;* 60 *in.* *apud Zamam;* 89 *m.* *apud Thalam;* 101 *m.* *apud Numantiam.* Nullo loco sic *ad urbem.* — Denique Livius eandem fere secutus est dicendi rationem, quam Caesar, ut rarissime apud illum inveniatur *apud urbem,* velut XXVIII, 29 *ext.* *Hunc finem exitumque seditio militum coepta apud*

Sucronem habuit; contra innumerabilibus locis *ad urbem*. — Vides igitur, quam sit in hac re diversa scribendi consuetudo scriptorum, etiamsi temporibus satis fuerint coniuncti.

Ibidem. *nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphi, quae quorum ingeniis ecferuntur, ab is populi Romani fama celebratur.* Sic verissime codex Erfurtensis, nisi quod pro *ecferuntur* ex solita librariorum scribendi ratione scriptum est *haec feruntur.* Nam verbum *ecferendi* (sic enim scripsisse Latinos, non *effero*, nunc satis videtur constare) ita solebat corrumpi a librariis, ut pro *ec* scriberent *haec*, sicut apud Cic. *ad Att.* VIII, 3, 5 Mediceus pro *ecferre* habet *hecferre*, utraque autem Ascensiana et Cratandrina editio *haec ferre.* Similiter prorsus, teste Wundero p. XXXVI, a librario codicis Erfurtensis in oratione *in Vatinium* pro *ecquid*, *ecquisnam*, *ecquosnam* scriptum est *haec quid*, *haec quisnam*, *haec quosnam.* Iam igitur apparet, ex hac scribendi ratione *haec feruntur* pro *ecferuntur* omnis, quae hoc loco deprehenduntur, ortas esse codicum turbas. Erfurtensis quidem codicis librarius cum admodum esset imperitus sermonis Latini, neque curaret ineptias, bona fide transscripsit, quae invenerat in exemplo suo, haec *quae quorum ingeniis haec feruntur*, hoc est *ecferuntur*. Vides igitur ex hoc quoque loco, ut ex tot aliis, stultos librarios plus profuisse, quam si qui erant scioli. Sciolorum enim librariorum istae sunt emendationes, quae in ceteris leguntur codicibus. Alii enim librarii cum intellexissent, ineptam esse eam lectionem, quam ipsi quoque in codicibus suis invenerant, servatam in codice Erfurtensi, neque vidissent, istud *haec feruntur* aliud nihil esse nisi corruptam scripturam pro *ecferuntur*, corruptum habuerunt vocabulum sanissimum *quae*, quod plerique correxerunt in *quia*, quod cum sit ineptissimum, probatum est a nullo. Ineptus fuisset enim orator, si voluisset hoc loco contendere, ideo tropaea, monumenta, triumphos non solum imperatoris, verum etiam totius esse populi Romani, quia, quorum ingeniis haec ecferrentur, ab is populi Romani fama celebraretur. Scilicet, haec enim debebat esse sententia *Si quidem tropaea, monumenta, triumphi non modo sunt imperatoris, sed totius populi Romani, ideo, quorum ingeniis ista ecferuntur, ab is etiam populi Romani, non solum imperatoris, fama celebratur.* Est igitur aptior quidem illa Naugeri coniectura *Quare*, quam cum Aldina et Cratandrina receperunt editores secuti omnes, quamquam post inventam codicis Erfurtensis lectionem verissimam nemo dubitabit, quin prorsus sit abstinen-

dum coniectura, veruntamen in eo debes offendi vel maxime, quod in ista lectione vulgata, ratione dicendi prorsus inusitata, verbum simplex *feruntur* ea dictum esset notione, quam solum habet verbum iunctum *ecferuntur*. Nam simplex *ferri* nihil aliud significat nisi *in omnium ore esse*, ideoque vix potest coniungi cum eo talis ablativus, qualis est *ingeniis*. Non raro quidem invenitur dictio *laudibus ferre aliquem*, ut apud Cic. *d. Rep.* I, 43, 67; *Orat.* 52, 174; Caes. *B. C.* I, 69 *in.*; Liv. V, 7 *m.*; VII, 10 *ext.*; 36 *in.*; IX, 33 *ext.*; Tac. *Ann.* II, 13 *in.*; aut etiam *in coelum, ad coelum aliquem ferre*, ut apud Cic. *ad Att.* VII, 1, 5; Liv. XXII, 30 *ext.*; sed nullo omnino loco absolutum istud *ferre* pro *ecferre, tollere*. Suo iure igitur negaverat iam Goerenzius ad Cic. *d. Leg.* III, 9, 22, ullo pacto posse ferri vulgatum istud *feruntur*, nec temere de huius coniectura, non improbante Orellio, Schuetzius et Moebius receperunt *ecferuntur*. Quamquam in eo erravit Goerenzius, quod in codicibus absorptam esse opinatus est syllabam *ec* ab ultimis litteris proximi vocabuli *haec*, si quidem non potest esse dubium, quin totum illud *haec feruntur* nihil sit aliud nisi prava scriptura pro *ecferuntur*.

Ibidem. §. 22. *putatur*. Ad hoc vocabulum haec mira annotavit Schroeterus: „Vix crediderim, illam rem, de qua etiam Livium et Valerium Maximum testes habemus, iam Ciceronis aetate aliquid incerti habuisse. Atque hoc verbum indicare videtur, scriptorem temporibus aliquanto posterioribus fuisse." Nam ipse quoque Livius XXXVIII, 56 *in.* hanc rem, ut incertam, refert; id quod sequitur profecto ex his verbis *Et Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt, quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poëtae Q. Ennii.* Nec tamen puduit Schroeterum sic cavillari, nisi forte vir egregius verba *tertia poëtae Q. Ennii* intelligenda esse dixerit sic *tertia est poëtae Q. Ennii.*

Ibidem. *e marmore. At is laudibus.* In codicibus omnibus, etiam codice Erfurtensi, pro istis verbis, quae de Fascitelli coniectura merito plerique receperunt editores, corrupta legitur lectio haec *et marmoratis laudibus.* Temere autem Schuetzius, commendante ipso Orellio, pro *is laudibus* scripsit *eius laudibus*, neque videtur reputasse, de industria Ciceronem scripsisse *is laudibus*, h. e. *is laudibus, quibus Ennius Scipionem ornavit.* Nam si scripsisset *eius laudibus*, ambiguum fere fuisset, utrum subiectivus esset genitivus iste, an obiectivus, atque ut talem ambiguitatem devitaret,

aliam praetulit dicendi rationem, in qua haut sane poterat quisquam offendi. De tali usu pronominis *is* cf. *ad Fam.* V, 13, 3, de quo loco rectissime statuit Orellius. Haec autem ibi leguntur *Casus enim gladiatorii similitudinesque eae, tum rationes in ea disputatione a te collectae vetabant me reipublicae penitus diffidere.* H. e. *similitudinesque eae, quibus usus es.*

Ibidem. *ipse, qui laudatur.* Hanc verissimam lectionem, quae in aliquot legitur codicibus, in optimo videlicet etiam libro Erfurtensi, primus ego, probante fere iam Schroetero, recipiendam esse duxi prae altera *ipsi, qui laudantur,* quae quamquam in deterioribus multis codicibus deprehenditur, tamen omnino non cadit in huius loci sententiam. Nam hoc loco non statim omnes, quos laudavit Ennius, erant opponendi populo Romano, sed unus tantummodo Scipio, id quod docent profecto sequentia, in quibus separatim Cato, ac separatim Maximi, Marcelli, Fulvii populo Romano opponuntur, quos viros idem Ennius celebraverat. In vulgata igitur lectione ex omnibus illis viris, quos laudaverat Ennius, unus Scipio non separatim opponeretur populo Romano, quod maxime esset inconcinnum.

Ibidem. *magnus honos populi Romani rebus adiungitur.* Sic aptissime codices plerique, optimus etiam Erfurtensis; ex prava autem correctione pauciores ac deteriores libri manu scripti atque cum his sola Iuntina editio *magnus honos populo Romano adiungitur.* Cf. infra 10, 23 *ipsis populis, de quorum rebus scribitur.*

Cap. X. §. 23. *Nam si quis.* Sic rectissime codices omnes, nec ullo pacto cadit in hunc locum *si qui*, quod esset *si qui, quicunque est.* Cogitat enim Cicero de certis quibusdam hominibus, de Romanis. Cf. quae supra 5, 11 dicta sunt ad verba *Quaere argumenta, si quae potes.*

Ibidem. *Graeca leguntur in omnibus fere gentibus.* Cf. *d. Div.* I, 41, 90 *Eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est.* . *Tusc.* V, 27, 77 *In ea tamen gente primum ei, qui sapientes habentur, nudi aetatem agunt.* 36, 105 *An hoc non ita fit omni in populo? d. Rep.* III, 9, 14 *videat primum in illa incorrupta maxime gente Aegyptiorum bovem quendam putari deum.* 10, 17 *Genera si velim iuris, institutorum, morum consuetudinumque describere, non modo in tot gentibus varia.*

Ibidem. *si res eae, quas gessimus.* Lectionem *eae* pro *hae* confirmat etiam corrupta codicis Erfurtensis scriptura *esse.* Nam cum simillima essent compendia vocabulorum *eae* et

esse, istud *esse*, ut recte censuit Wunderus p. XL, ortum est ex compendio vocabuli *eae*. Neque cadit in hunc locum pronomen *hic*, nec credendum est Matthiaeo, qui contendit, istud *res hae* hoc loco ita explicandum esse *res hae*, *quas paullo ante commemoravi*. Nam paullo ante nonnullas tantum quorundam imperatorum commemoraverat res gestas, atque ut recte diceretur *res hae, quas gessimus*, communiter de omnibus Romanorum rebus gestis loqui debuerat, id quod non fecit. At hoc quidem loco non de nonnullis rebus, sed de omnibus, quas omnino gesserunt Romani, cogitandum esse, nemo non videt.

Ibidem. *cupere debemus*, *quo manuum nostrarum tela pervenerint*, *eodem gloriam famamque penetrare*. Ne ego quidem is sum, qui multorum codicum, ipsius quoque codicis Erfurtensis, additamentum *minus* ante *manuum* verum esse contendam, quippe cum, quoquo modo defenderis, ineptam fere praebeat sententiam. Primum enim prorsus repugnarent proxima illa *si res eae*, *quas gessimus*, *orbis terrae regionibus definiuntur* sententiae horum verborum *quo minus manuum nostrarum tela pervenerint*. Nam etiamsi primo rerum gestarum amplitudinem solito more nimium quantum exaggerasset Cicero, non tamen post illa ita debebat coerceri, ut fateretur, esse tamen terras, quo manuum tela minus pervenissent. Deinde fuisset barbarum, dicere *eodem* pro *eo tamen*, cum vocabulum *idem*, ut constat, tum solum possit usurpari, si de uno aliquo duo praedicantur. Ista autem lectione recepta unum negaretur, alterum affirmaretur. Denique, quod aeque grave est argumentum ad infringendam istam lectionem, vix est Latina haec collocatio *quo minus manuum nostrarum tela pervenerint* pro *quo manuum nostrarum tela minus pervenerint*. Namque ut nemo hoc loco dicet *quo non manuum nostrarum tela pervenerint* pro *quo manuum nostrarum tela non pervenerint*, sic illud *minus* isto loco collocatum nego esse Latinum. Ipse quoque igitur mihi persuasi, *minus*, ortum sive ex sequenti vocabulo *manuum* sive quo alio modo, hoc loco ferri posse nullo prorsus modo. Recepta autem lectio nihil eget defensione; nam quod Schroeterus contra eam attulit, non posse dici eo, quo tela illa ipsa pervenissent, illam gloriam famamque non una pervenisse, in hoc vehementer erravit. Videtur enim opinatus esse Schroeterus, cogitasse Ciceronem de ea *gloria famaque*, quam tum ipsum sibi pararet populus Romanus, simulac manuum tela aliquo pervenissent. At enim voluit intelligi *gloriam famamque* sic, ut cogitaretur de *gloria fa-*

maque, hoc est de *gloriae fama*, quam *carmina* adderent Romanorum rebus gestis; nos diceremus *Verherrlichung*.

Ibidem. *quod, cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum is certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculorum invitamentum est et laborum.* Perperam editores, ut videtur, omnes iunxerunt *quod — sunt*, neque reputarunt, illud *sunt* pendere a coniunctione *cum*, iungendum esse autem *quod — est*. Omnino erat igitur interpungendum post *quod*. Iam vero attendenda est ratio, qua hoc loco Cicero tris commemorarit causas, cur cupiendum sit, quo manuum tela pervenissent, eodem gloriam famamque penetrare. Priores autem duae causae continentur his verbis *Quare, si res eae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur*, hoc est fere *Cum igitur Graeca legantur in omnibus fere gentibus, et cum res eae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiantur*; denique tertiam addit magis universam hanc *quod is, qui de vita gloriae cauca dimicant, hoc maximum et periculorum invitamentum est et laborum.* Hanc autem pluris simul causas afferendi rationem, ut una duaeve ante verba ea collocentur, quibus continetur res, quae propter illas causas vel debet fieri vel facta est, tertia autem post illa verba adiiciatur, vel maxime esse Tullianam, ignorasse videtur Schroeterus, qui quidem in hac huius loci conformatione aliquantum offensus est. Ita prope supra 8, 18 *Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videntur.* Hoc est fere *Cum igitur quasi divino quodam spiritu inflentur poëtae, et cum quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur, suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas.* Simillimus est autem locus *p. L. Man.* 6, 14 *Quare, si propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti maiores nostri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella gesserunt, quanto vos studio convenit, iniuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperi vestri dignitate defendere, praesertim cum de maximis vestris vectigalibus agatur!* Hoc est *Cum igitur Pompeium tanta mansuetudine, tanta humanitate esse videatis, et cum propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti maiores nostri bella gesserint, et cum de maximis vestris vectigalibus agatur, quanto vos studio convenit, iniuriis provocatos, sociorum salutem defendere!* Nonnunquam etiam statim iunguntur *Quare, quod*, similiaque, ut *p. Flacc.* 29, 70 *Quamobrem, quoniam, quod crimen esse voluisti, id totum vides in lau-*

dem esse conversum, *veniamus iam ad civium Romanorum querelas*. p. *Sest*. 34, 73 *Quare*, *cum absens rempublicam non minus magnis periculis quam quodam tempore praesens liberassem*, *non restitui me solum*, *sed etiam ornari a senatu decere*. Nec facile tamen invenies *Quare et cum*, quod maxime esset inconcinnum. — Quod autem pro *incitamentum*, sicut in codicibus legi dicitur omnibus, levissima mutatione scripsi *invitamentum*, in hoc me reprehendet nemo. Nam non modo Cicero nullo loco usus est vocabulo *incitamenti*, sed apud neminem omnino scriptorem aureae aetatis illud invenitur. Apud Curtium quidem atque Tacitum legitur. Huc accedit, quod non fere cadit in hunc locum *incitandi* notio; quis enim unquam dixit *gloria incitatus sum ad pericula subeunda et labores suscipiendos?* Nam *incitatur* is tantummodo ad aliquid, qui *cohortationibus* ad aliquid impellitur. Gloria autem *invitantur* homines ad faciendum aliquid, ut apud Cic. *ad Brut*. I, 15 *post med*. *Praeclara illa quidem ingenia*, *quae gloria invitantur*. Atqui illud invitamenti vocabulum saepenumero apud Ciceronem invenitur, ut *d. Fin*. V, 6, 17 *Totius enim quaestionis eius*, *quae habetur de finibus bonorum et malorum*, *fons reperiendus est*, *in quo sunt prima invitamenta naturae*. 19, 52 *Quocirca intelligi necesse est*, *in ipsis rebus*, *quae discuntur et cognoscuntur*, *invitamenta inesse*, *quibus ad discendum cognoscendumque moveamur*. *d. Rep*. II, 4, 8 *Multa etiam ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus suppeditantur mari*, *quae vel capiuntur vel importantur*. *ad Fam*. X, 10, 2 *Is autem*, *qui vere appellari potest honos*, *non invitamentum ad tempus*, *sed perpetuae virtutis est praemium*. Hoc est *non breve aliquod invitamentum virtutis*. *Fragm*. *F*, 5, §. 70 *Voluptates autem nulla ad res necessarias invitamenta afferunt senibus*. Simillimus est locus *p. Syll*. 26, 74 propter ipsum genitivum obiecti *Qui cum multa haberet invitamenta urbis et fori propter summa studia amicorum*. Hoc est *invitamenta ad urbem adeundam et forum*, non, ut alii interpretantur, *invitamenta ab urbe et foro profecta*, cui interpretationi repugnant verba *propter studia amicorum*. Ita plane Liv. II, 42 *m*. *Patres*, *satis superque gratuiti furoris in multitudine credentes esse*, *largitiones temeritatisque invitamenta horrebant*. Similiter apud eundem VII, 11 *m*. *quae magna etiam absentibus hortamenta animi*, *tum subiecta oculis simul verecundia misericordiaque militem accendebant*. Quod igitur negavit Schroeterus, quemquam optimorum scriptorum coniunxisse cum vocabulo *incitamenti*

genitivum obiecti, id quodammodo recte negavit, propterea quod apud optimos scriptores non invenitur vocabulum istud, sed temere offensus est in ipso genitivo, qui vel maxime est Latinus.

Ibidem. §. 24. *tuae virtutis Homerum praeconem.* Vocabulum *praeconis* sic translatum, cum ab hoc loco discessisti, non facile apud quemquam scriptorem Latinum invenies, et cum verba illa *O fortunate adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris* manifesto conversa sint ex Graeco aliquo scriptore, apud Graecos autem κήρυξ usurpatum sit pro *praedicatore*, apparet, cautius agendum fuisse lexicographis, quorum multi sine ulla dubitatione *praeconem* ista notione tamquam optime Latinum atque Tullianum commendarunt. Scilicet Latini pro translato nostro *Herold* nonnunquam usi sunt vocabulo *praedicatoris*, ut apud Cic. *p. Balb.* 2, 4 *Sed mos est gerendus non modo Cornelio, sed etiam Cn. Pompeio, qui sui facti, sui iudici, sui benefici voluit me esse, ut apud eosdem vos, iudices, nuper in alia causa fuerim, et praedicatorem et auctorem.* Idem fere significat *laudator; bucinator* autem, ut locutus est Cicero filius, potius est *Ausposaunen*. Quamquam *praeconium*, cognatum vocabulum, saepenumero pro *praedicatione* usurpatum est, et forsitan casu factum sit, ut translatum *praeconis* vocabulum nullo praeterea loco inveniatur. Atque ex eodem quidem scriptore Graeco, e quo hausisse censendus est Cicero, hausit Plutarchus, qui in vita *Alexandri cap.* 15 *ext.* (quem locum debeo amicissimo Keilio) eundem, quem Cicero nostro loco appellat *praeconem*, nominat κήρυκα, his verbis ἐστεφάνωσε μακαρίσας αὐτὸν, ὅτι καὶ ζῶν φίλου πιστοῦ καὶ τελευτήσας μεγάλου κήρυκος ἔτυχεν.

Ibidem. *nisi Ilias illa.* Sic ex coniectura, ut videtur, sed certissima, plerique editores; codices alii, in hisque Erfurtensis, pro his verbis habent *nisi ars illa;* alii *nisi illi ars illa;* alii *nisi illi ars*, omisso vocabulo *illa.* Nemo autem lectionem istam *nisi ars illa* ita defendet, ut dicat, ipso vocabulo *artis* significatam esse *Iliadem;* esse enim *artem* id, quod nos diceremus *Kunstwerk.* Nam, nisi me fallit, *artis* vocabulum de artificum quidem, nunquam tamen de poëtarum operibus est usurpatum. Atque etiam apparet, facillime in codicibus potuisse oriri istas turbas propter litteras simillimas *isi* et *ili.* Alii enim librarii, cum *ili* quoque legissent *isi*, illud omiserunt tamquam casu geminatum, atque ex *as* fecerunt *ars;* alii *ili* correxerunt in *illi;* alii denique propter proximum *illi* omiserunt sequens *illa.* Similiter *d.*

Div. I, 40, 87 *Calchantem augurem scribit Homerus longe optimum eumque ducem classium fuisse ad Ilium auspiciorum credo scientia non locorum* verba verissima *ad Ilium* in omnibus corrupta deprehenduntur codicibus, in aliis *ad illum*, in aliis *at illum*.

Ibidem. *qui cum virtute fortem adaequavit*. Scripsi *fortem* cum optimo codice Erfurtensi, qui quidem habet *forte* omissa lineola, pro *fortunam*, quod in ceteris legi fertur codicibus. Inest autem sententia haec *qui perinde virtute excellit atque fors eum adiuvat*. Cf. apud Cic. *d. Off.* I, 12, 38 versus Enni hos:

Vosne velit an me regnare hera quidve ferat fors,
Virtute experiamur.

Ibidem. §. 25. *cum Hispanos donaret et Gallos*. Sic scripsi cum codice Erfurtensi pro *cum Hispanos et Gallos donaret*.

Ibidem. *quem nos in concione — scriberet*. Locus, quod ad crisin attinet, omnium difficillimus, qui quidem ab ita multis et librariorum et criticorum erroribus inveteratis fere debebat vindicari, ut, si inspicias modo varias huius loci lectiones, vix credas, tamdiu pro veris potuisse haberi vulgatas lectiones. Atque plurimum quidem debet hic locus, sicut tot alii, praestantissimo codici Ambrosiano. De singulis autem suo loco dicetur. Mirum est tamen, huic loco nihil fere redundare commodi ex codice Erfurtensi, sed et alios codices confirmare Ambrosiani lectionem *iussit*, nec illud *cui cum*, quod necessario requiritur probato isto *iussit*, inveniri in codice Erfurtensi, sed in aliis codicibus atque in editione anni 1480, quae quidem, ut constat, non raro habet singularia quaedam. Atqui sumendum est, ut in alios codices, sic in ipsum codicem Erfurtensem, quamquam plerumque verissimas praebet lectiones, tamen hoc loco illatas esse grammatici nescio cuius emendationes *cum ei* pro *cui cum* et *iubere* pro *iussit*, sicut infra II, 28 istud *adhortavi*, quod grammaticus in aliquot invenerat codicibus, neque probaverat, correctum est in *adhortatus sum*. Enimvero istas, quae in multis inveniuntur codicibus, emendationes apparet ortas esse cum propter constructionem *cui cum — subiecisset, iussit*, de qua post disputabo, tum maxime propter non intellectam sententiam verborum *quem nos in concione videmus*. His autem praemissis iam transibo ad singula illustranda.

Ibidem. *quem nos in concione videmus*. Cum codice Erfurtensi scripsi *videmus* pro *vidimus*, nec id temere me fecisse, unicuique, opinor, persuadebo. Cum enim saepissime

iuvenias hanc temporis, quam vocant, enallagen apud scriptores Latinos, tum nullo certe loco aptius est praesens tempus quam hoc, quo Cicero vult significare, omnium sine dubio oculis obversari istam rem, quam sit narraturus. Ita plane *d. Leg.* III, 8, 19 *At mehercule ego, frater, quaero, de ista potestate quid sentias, nam mihi quidem pestifera videtur, quippe quae in seditione et ad seditionem nata sit, cuius primum ortum, si recordari volumus, inter arma civium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum videmus.* Cicero enim repraesentat quasi tempus illud, quo orta est potestas illa. — Quod autem attinet ad sententiam horum verborum *quem nos in concione videmus*, quam a librariis atque criticis paullo ante negavi esse perspectam, haec est *quem nos videmus, quemadmodum se gereret in concione* hoc est *cuius facilitatem in concione videmus.* Nos diceremus *dessen Freigebigkeit in einer Versammlung wir noch sehen.* Saepe enim in verbo *videndi* gravior quaedam inest vis, ut summa eius, quod aut proximo loco aut in sequentibus dictum est, eo videatur contineri. Sic supra 7, 15 *ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum*, hoc est fere *cuius ingenium, doctrina conformatum, patres nostri viderunt.* Sic *d. Amic.* 2, 9 (quem locum, sicut sequentem ex *Parad.*, debeo Klotzio) *Quomodo, ut alia omittam, Cato mortem fili tulit! Memineram Paullum, videram Gallum; sed hi in pueris.* Hoc est *videram Galli animi constantiam in dolore perferendo.* Simillimi sunt autem propter sequens pronomen relativum hi duo loci *Parad.* II, 16 *C. vero Marium vidimus, qui mihi secundis rebus unus ex fortunatis hominibus, adversis unus ex summis videbatur, quo beatius esse mortali nihil potest.* Hoc est *vidimus beatitudinem C. Mari. p. Font.* 8, 16 *An vero illi equites Romani, quos nos vidimus, qui nuper in republica iudiciisque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro testi non crederent* et reliqua. Hoc est *quos florentis vidimus in republica iudiciisque maximis.* In his igitur verbis *quem nos in concione videmus*, parum intellectis, unam positam esse contendo causam, cur *cui cum* correctum sit in *cum ei, iussit* in *iubere;* de altera iam loquar.

Ibidem. *cui cum — subiecisset, — iussit.* In plerisque sine dubio codicibus legitur *cui cum* pro *cum ei*, atque istud vulgatum *cum ei* ex correctione ortum esse, etiam inde colligas, quod in Iuntina editione non est scriptum *cum ei*, sed *ei cum.* Recentiores quidem pro hac huius loci constructione scriberent *qui, cum ei — subiecisset, — iussit,* quod

quamquam non esset falsum, tamen Latini relativum multo rarius referunt ad verbum primarium, quam ad secundarium. Sed cum hanc rem ab hominibus doctissimis viderim parum esse perspectam, exemplis id comprobabo, quod modo dixi. Atque primum quidem eos afferam locos, quibus relativum cum secundario coniunctum est verbo, qui loci apud Ciceronem sunt permulti. Cf. *d. Nat. D.* I, 5, 12 *Ex quo exsistit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen quia visum quendam haberent insignem et illustrem, is sapientis vita regeretur;* pro *quibus, quamquam ea non perciperentur, vita regeretur.* 9, 22 *Quae ista potest esse oblectatio deo? quae si esset, non ea tamdiu carere potuisset;* pro *qua, si esset, non tamdiu carere potuisset.* II, 24, 62 *quorum cum remanerent animi atque aeternitate fruerentur, dii rite sunt habiti;* pro *qui, cum eorum.* III, 14, 35 *qui quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus.* Sic rectissime codices plerique; perperam autem commendat Orellius lectionem *quem* pro *qui.* Intelligendum est enim *eum omittamus.* *d. Div.* I, 17, 32 *Cuius cum tentaret scientiam auguratus, dixit ei, cogitare se quiddam;* pro *Cui, cum eius.* *d. Off.* II, 25, 89 *a quo cum quaereretur, quid maxime expediret, respondit;* pro *qui, cum ex eo.* III, 10, 41 *animum pepulit eius, cui cum visum esset utilius solum quam cum altero regnare, fratrem interemit;* pro *qui, cum ei.* *d. Fin.* II, 1, 2 *Qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit;* pro *Quem morem, cum is.* 20, 64 *Aberat omnis dolor, qui si adesset, nec molliter ferret, et tamen medicis plus quam philosophis uteretur;* pro *quem, si is.* *Tusc.* I, 43, 102 *cui cum Lysimachus rex crucem minaretur, „Istis, quaeso," inquit, „ista horribilia minitare purpuratis tuis;"* pro *qui, cum ei.* II, 8, 20 *Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit! cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset, ait ille;* pro *qui, cum illi.* II, 25, 60 *Quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, respondit;* pro *Qui, cum eum.* 61 *quem ut vidisset et salutavisset, ille inquit;* pro *qui, ut eum.* III, 31, 76 *cui cum dictum esset, respondet;* pro *qui, cum ei.* IV, 19, 43 *quae etiamsi non assit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur;* pro *quam, etiamsi ea.* V, 10, 30 *Quos si titulus hic delectat insignis et pulcher, inducant animum;* pro *Qui, si eos.* *Parad.* I, 1, 8 *cuius cum patriam cepisset hostis, inquit;* pro *qui, cum eius.* *d. Rep.* I, 4, 7 *Is enim fueram, cui cum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris propter variam suavitatem studiorum, in quibus*

a pueritia vixeram, aut, si quid accideret acerbius universis, non praecipuam sed parem cum ceteris fortunae condicionem subire: non dubitaverim me gravissimis tempestatibus ac pene fulminibus ipsis obvium ferre conservandorum civium causa meisque propriis periculis parere commune reliquis otium; pro *qui, cum mihi.* Coniecturam autem Wolffi *qui,* pro *cui,* mire probatam Beiero et fere etiam Orellio, rectissimo iudicio vituperavit Klotzius *Quaest. Tull.* I, p. 18, qui quidem hunc locum, sicut alios quosdam, defendit contra iniurias editorum. II, 21, 37 *Qui cum famulorum numero educatus ad epulas regis assisteret, non latuit scintilla ingeni;* pro *Cuius, cum is.* *d. Leg.* I, 24, 62 *Quae cum tot res tantaeque sint, quae inesse in homine perspiciantur ab is, qui se ipsi velint nosse, earum parens est educatrixque sapientia;* pro *Quarum rerum, cum eae.* *d. Orat.* I, 46, 202 *qui primum est eius artis antistes, cuius cum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen dedisse deus putatur;* pro *quam, cum eius.* Scripsi autem *dedisse* pro *esse* ex probabili coniectura Klotzi in *praef. Catonis maioris* p. VIII. 56, 239 *qui rusticanus cum Crassum seduxisset atque ad eum retulisset, Galba nomine appellavit;* pro *quem rusticanum, cum is.* II, 62, 253 *ut illud in Titium, qui cum studiose pila luderet, excusavit Vespa Terentius;* pro *quem, cum is.* Quo tamen loco temere Ernestius et Schuetzius pro *qui* scripserunt *quem.* *Brut.* 70, 245 *cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu consul factus esset;* pro *qui, si ei.* *Part. Orat.* 20, 69 *quod cum latum genus esse potest saneque varium, unum ex eo delegimus;* pro *ex quo genere, cum id.* *p. Rosc. Am.* 12, 33 *quos quia servare per compositionem volebat, ipse ab is interemptus est;* pro *a quibus, quia eos.* 22, 60 *quem simulatque attigi, statim homo se erexit;* pro *qui homo, simulatque eum.* *in Verr. A.* I, 15, 43 *quam cum poscebat, verbo illam poscere videbatur;* pro *quam, cum illam.* *A.* II, *l.* III, 24, 59 *qui quemadmodum essent accepti, audistis ex ipsis;* pro *ex quibus ipsis, quemadmodum.* *A.* II, *l.* V, 18, 45 *qui si quo publice proficisceris, praesidi et vecturae causa sumptu publico navigia praebentur;* pro *cui, si tu quo.* Nuperrime etiam ipse Orellius, qui quidem satis mire antea illud *qui* pro soloecismo habuerat, doctus a Madvigio et Bakio, suo iure recepit hanc optimorum plurimorumque codicum lectionem. *p. Caec.* 10, 28 *qui cum vehemens acerque venisset, eum placidum mollemque reddidi;* pro *quem, cum is.* 26, 74 *Quid enim refert, aedis aut fundum relictum a patre aut aliqua ratione habere bene partum, quae*

cum omnia tua iure mancipi sint, ea possisne retinere, si incertum sit, si parum sit communitum ius, si civili ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest? Quod ego locum, conclamatum fere, ita restitui, ut verba *si incertum sit* transposuerim post *retinere*, in eo qui dissentiat mecum, erit nemo. Nam sic et omnis sublata est huius loci difficultas, nec non perspicitur, cur ab librario verba illa *si incertum sit* sint transposita; scilicet in eo videtur offensus esse, quod postposita erant verba *si incertum sit*, a quibus penderent illa *ea possisne retinere*. Iam vero vel maxime Tulliana sunt verba *quae cum omnia tua iure mancipi sint, ea possisne retinere, si incertum sit* pro *quae omnia tua, cum ea iure mancipi sint, possisne retinere, si incertum sit*. *p. Cluent.* 12, 33 *uxorem suam interrogavit, essetne praegnans, quae cum se esse respondisset, ab ea petivit, ut apud Dineam habitaret*; pro *a qua, cum ea*. 14, 40 *ad quam cum adduxisset medicum illum suum, mulier exclamat*; pro *quae mulier, cum ad eam*. 15, 43 *quorum cum satis magnus numerus esset, repente Oppianicus eos omnis liberos esse civisque Romanos coepit defendere*; pro *quos omnis, cum eorum*. 38, 105 *a quibus si qui quaereret, sedissentne iudices in C. Fabricium, sedisse se dicerent*; pro *qui, si qui ab eis*. *p. Mur.* 13, 29 *in qua si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem*; pro *de cuius laude, si satis in ea*. 26, 53 *Qui cum petisset diligenter, huic mirandum est magno adiumento Catilinae subitam spem consulatus adipiscendi fuisse?* pro *Cui, cum is*. *p. Flacc.* 36, 90 *Ergo is, qui si aram tenens iuraret, crederet nemo*. Sic rectissime codices, atque temere, ut iam Klotzius l. l. vidit, recentiores editores ex coniectura Graevi *cui* pro *qui*. *p. Planc.* 26, 65 *Cui cum respondissem, me e provincia decedere, „etiam mehercule," inquit, „ut opinor, ex Africa*; pro *Qui, cum ei*. 41, 97 *In hortos me M. Laeni Flacci contuli, cui cum omnis metus, publicatio bonorum, exsilium, mors proponeretur, haec perpeti, si acciderent, maluit, quam custodiam mei capitis dimittere*, pro *qui, cum ei*. *p. Sest.* 32, 69 *qui cum in senatu, privati ut de me sententias dicerent, flagitabantur, legem illi se Clodiam timere dicebant*; pro *qui, cum illi*. Scripsi *privati* cum Wundero et Matthiaeo pro *privatim*. Miror autem, Muellerum potuisse offendi in pronomine *illi*, quo nihil est sanius. 68, 143 *cuius corpore ambusto vitam eius et virtutem immortalitas excepisse dicitur*; pro *cuius vitam et virtutem, corpore eius ambusto, immortalitas excepisse dicitur*. *p. Aem. Scaur.* 23 *A quo cum quaerere-*

tur, quam provinciam aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam postulavit; pro *Qui, cum ab eo. p. Balb.* 17, 39 *qui Gaditani a principio sui generis ac reipublicae ab omni studio sensuque Poenorum mentis suas ad nostrum imperium nomenque flexerunt; qui cum maxima bella nobis inferrent, moenibus excluserunt;* pro *quos, cum illi.* Plerique sine dubio codices, etiam Erfurtensis, hoc loco habent *qui* pro *quos,* quod dolendum est praelatum esse ab editoribus omnibus. Intelligendum est enim *eos excluserunt. in Pis.* 8, 17 *Tu es ille, cui crudelitas displicet? cui cum senatus luctum ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset, cum videres maerere rempublicam amplissimi ordinis luctu, o noster misericors! quid facis? quod nulla in barbaria quisquam tyrannus;* pro *qui, cum tibi.* Perperam autem editores plerique, ipse quoque Orellius, pro *cui cum* scripserunt *qui cum,* cum omnes fere codices, etiam Erfurtensis, rectissimum illud praebeant *cui cum. Philipp.* XII, 11, 27 *quem Scato cum salutasset, „Quem te appellem?" inquit;* pro *qui, cum eum. ad Fam.* I, 2, 3 *quem ego ipsum cum audio, prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis;* pro *quem ego, cum eum ipsum.* 4 *De his rebus pridie, quam haec scripsi, senatus auctoritas gravissima intercessit, cui cum Cato et Caninius intercessissent, tamen est perscripta;* pro *quae, cum ei.* III, 1, 2 *quem cum Romam remittes, omnibus ei de rebus, quas agi voles, mandata des velim;* pro *cui, cum eum.* X, 12, 3 *qui cum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens eum senatus reliquit;* pro *quem, cum is.* Sic altero etiam loco nostrae oratiunculae 4, 6 *Quae cum esset civitas aequissimo iure ac foedere, ascribi se in eam civitatem voluit;* pro *In quam civitatem, cum ea esset aequissimo iure ac foedere, ascribi se voluit.* — Non desunt tamen in Ciceronis operibus loci, quibus contra pronomen relativum non ad secundarium sed ad primarium relatum est verbum, quos iam afferam. Cf. *d. Senect.* 5, 13 *qui, cum ex eo quaereretur, cur tamdiu vellet esse in vita: „nihil habeo," inquit, „quod accusem senectutem."* Potuit dicere *ex quo cum quaereretur, inquit;* sicut in re simillima locutus erat *d. Off.* II, 25, 89 *a quo cum quaereretur, quid maxime expediret, respondit. d. Off.* I, 30, 108 *callidum factum Solonis, qui, quo et tutior vita eius esset et plus aliquanto reipublicae prodesset, furere se simulavit.* Potuit dicere *cuius quo.* II, 23, 81 *At vero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui, cum eius civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Ar-*

gis Sicyonem clandestino introitu urbe est potitus; pro *cuius cum. d. Fin.* II, 20, 65 *quem quidem, cum sua voluntate ex patria Carthaginem revertisset, tum ipsum, cum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse quam potantem in rosa Thorium;* pro *Qui quidem cum — revertisset, eum tum ipsum. d. Orat.* I, 30, 134 *Neque vero vos ad eam rem video esse cohortandos, quos, cum mihi quoque sitis molesti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate;* pro *qui cum — sitis, vos. Brut.* 26, 101 *quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat;* pro *a quo quia — non erat, eum. in Caec.* 4, 14 *Omnium civitatum totius Siciliae legationes assunt praeter duas civitates, quarum duarum, si adessent, duo crimina vel maxima minuerentur;* pro *quae duae si adessent, earum.* Non tamen necesse est cum quibusdam scribatur hoc ipsum *quae duae* pro *quarum duarum. in Verr. A.* I, 2, 4 *qui ita dictitat, is esse metuendum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissent;* pro *quibus quod ipsis solis. A.* II, *l.* I, 10, 27 *Dio quidam fuit Halesinus, qui, cum eius filio hereditas venisset, nihil habuit tum neque negoti neque controversiae;* pro *cuius cum filio. A.* II, *l.* II, 56, 138 *quibus, si quid commisissent, poenae legibus erant constitutae;* pro *qui si quid. A.* II, *l.* III, 82, 189 *Nemo enim fuit initio tam impudens, qui, cum frumentum deberetur, pecuniam posceret;* pro *cui cum.* 97, 226 *quibus, cum decumas dare deberent, vix ipsis decumae relictae sunt;* pro *qui cum dare deberent. p. Caec.* 17, 48 *Potes igitur dicere, non ei vim fuisse impedimento, cui, cum cuperet eoque consilio venisset, per homines coactos licitum non sit accedere?* pro *qui cum — venisset, ei. p. Cluent.* 66, 187 *quem tu, cum hunc brevi tempore accusaturus esses, Romam deducere debuisti;* pro *quem tu cum — esses, eum. in Tog. Cand.* p. 523 *Qui, cum te furti L. Calenus ageret, me potissimum patronum esse voluisti;* pro *Quem cum — ageret, tu. Flacc.* 11, 25 *in quo, etiamsi quid errasset, omnes boni connivendum esse arbitrarentur;* pro *qui etiamsi.* 28, 66 *quos ego, quo id facilius faciant, non adiuvabo;* pro *qui quo — faciant, eos. p. Coel.* 17, 40 *quibus, cum facere non possent, loqui tamen licebat;* pro *qui cum — possent, is tamen. d. Prov. Cons.* 4, 8 *cuius, ut provinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certavit;* pro *qui ut — tetigit, sic eius. Philipp.* X, 1, 1 *Maximas tibi gratias omnes et habere et agere debemus, qui, cum hodierno die senatum te habiturum non arbitraremur, ne minimam quidem moram in-*

terposuisti; pro *quem cum — non arbitraremur, tu.* *ad Fam.* IX, 17, 1 *Non tu homo ridiculus es, qui, cum Balbus noster apud te fuerit, ex me quaeras;* pro *apud quem cum.* *ad Att.* VII, 5, 1 *quae mihi, quamquam recentiora audiebam ex is, qui ad me veniebant, tamen erant iucundae;* pro *quibus quamquam recentiora audiebam, eae tamen.* — Quamquam igitur ne hi quidem loci, quibus pronomen relativum cum verbo primario coniunctum est, rari sunt apud Tullium, tamen, id quod parum attenderunt adhuc homines docti, non facile invenietur exemplum, quo id factum sit, si unum idemque est subiectum utriusque verbi, non facile ergo tale quicquam legetur *qui, cum is locutus esset, mortuus est* pro *qui cum locutus esset, mortuus est, is mortuus est.* Etenim ibi tantummodo fere hac Cicero usus est dicendi ratione, ubi diversum utriusque verbi est subiectum, id quod apparet ex allatorum locorum copia. Tametsi interdum tum etiam ita locutus est Cicero, si utriusque verbi unum idemque est obiectum, ut illo loco ex oratione *p. Cluent.* 66, 187, quem modo attulimus, *quem tu, cum hunc brevi tempore accusaturus esses, Romam deducere debuisti.* Sic etiam *ad Att.* IV, 2, 2 *quam tibi, etiamsi non desideras, tamen mittam cito;* quo loco collocatio pronominis *tibi* docet, intelligendum esse *etiamsi eam non desideras.* Iam vero apparet, cum inauditum sit tale quiddam *qui, cum is locutus esset, mortuus est,* perperam multos homines doctos, si inveniant talia *qui cum locutus esset, mortuus est,* distinguere hoc modo *qui, cum locutus esset, mortuus est.* Atque in hac quidem re nemo saepius peccavit quam Orellius; vel *d. Senect.* 9, 27 *Quae enim vox potest esse contemptior quam Milonis Crotoniatae? qui cum iam senex esset athletasque se exercentis in curriculo videret, aspexisse lacertos suos dicitur;* quo loco, ut innumerabilibus aliis, perperam comma Orellius posuit post *qui.*

Ibidem. *malus poëta de populo.* Deletum est tamquam glossema a quibusdam editoribus, non improbantibus Orellio et Matthiaeo, vocabulum *malus*, quod tamen in omnibus legitur codicibus, nec, cur deleatur, ulla est causa. Ideo enim iam hoc loco addidisse censendus est orator illud *malus*, ut statim isti auditores mentibus opponerent Archiam, poëtam optimum. Neque redundat *malus* propter verba *de populo*, si quidem aliud quid est *malus poëta*, aliud *poëta de populo*, nec *malus* est quivis *poëta de populo.*

Ibidem. *subiecisset, quod epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis versibus longiusculis.* Unus Matthiaeus

ex parte hunc locum recte videtur intellexisse, qui quidem suo iure ex coniunctivo *fecisset*, addere poterat ex verbis *in eum*, colligit, ipsum poëtam addidisse haec *epigramma in te feci*, Ciceronem autem descriptionem adiecisse hanc *tantummodo alternis versibus longiusculis*, hoc est *in quo nihil aliud erat nisi alterni versus longiusculi, nulli sales, nullum acumen, nihil nisi disticha*. Erat igitur omnino commate interpungendum post *fecisset*. Mira autem annotavit idem Matthiaeus ad verba *alternis versibus longiusculis*, mira, inquam, haec: „Elegiacum carmen significat contemptim, ut se carminum diversa genera nosse dissimulet;" quae quid significent, aliis divinandum relinquo; nam ego Ciceronis quidem verba mihi videor intellexisse, non tamen obscura ista interpretis doctissimi. Errarunt autem vehementer ei interpretes, qui verba *quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis* Syllae esse opinati sunt, non reputantes, tum soloecismum fere futurum fuisse *in eum* pro *in se*. — Restat, ut loquar de vocabulo *longiusculus*, quod ipsum adhuc non videtur recte intellectum esse ab interpretibus. Putarunt enim, *longiusculus* idem fere significare quod *longulus*, neque intellexerunt, notionem comparativi, quae apud optimos scriptores in omnibus eiusmodi inest vocabulis, ut in *maiusculus*, *minusculus*, *meliusculus*, *plusculum*, *putidiusculus*, aliis, ne hoc quidem loco deesse. Nam profecto his verbis *alternis versibus longiusculis* voluit significare Cicero, paullo longiorem esse hexametrum quam pentametrum.

Ibidem. *ex is rebus*, *quas vendebat*. Omisi cum praestantissimo codice Ambrosiano particulam *tunc* ante *vendebat*, quae quam facile hoc loco potuerit addi a librario, nemo non intelligit. Iam vero ex sequenti annotatione ad vocabulum *pretium* apparebit, etiam perversum esse hoc loco tale *tunc*. Sicut autem supra 3, 5 unus codex Erfurtensis minus bene pro *tunc* habebat *tum*, sic hoc loco, quo si alterum utrum esset probandum, quod tamen nego, verius sine dubio esset *tunc*, unus ille codex habet *tum* pro *tunc*. Videtur igitur is, qui scripsit illum codicem, solitus fuisse, ubi in codice suo, quem describebat, invenerat *tunc*, illud corrigere in *tum*. — Pro *is* autem, sicut scribere soleo pro *iis*, non solum in codice Erfurtensi, ut in hoc semper, verum etiam in antiquissimo Ambrosiano scriptum est *his*. Apparet igitur, antiquissimis iam temporibus solitos esse librarios addere suum *h* huic dativo sive ablativo *is*, quem non agnoscebant. Quare exsistent fortasse, qui contendant, una eademque forma

his, sicut forma *hi*, usos esse Latinos ad exprimendum nominativum dativumque aut ablativum et pronominis *hic* et pronominis *is*. Et sane cum his facerent codices antiquissimi, nec fortasse deesset omnis analogia, nec obstarent poëtae.

Ibidem. *iussit*. Praeter librum Ambrosianum unus tantummodo codex Oxoniensis, atque cum hoc utraque editio Veneta habere dicitur *iussit* pro *iubere*. Sed vix crediderim, editiones Venetas unius codicis auctoritate recepisse illam lectionem, atque etiam mirum esset, si codices, in quibus legitur *cui cum*, idem non haberent *iussit*. Utcunque est, verissimam esse lectionem *iussit*, supra iam demonstravimus.

Ibidem. *omne*. Scripsi *omne* pro leviter corrupta lectione codicis Ambrosiani *enim*. Nam ut *o* et *e* saepissime confunduntur, sic litterae reliquae cum debuerint legi *mne*, facillime legi poterant *nim*. Ac de sententia quidem totius loci conferatur sequens annotatio. Restat, ut ostendam, vulgatam lectionem *ei* per se, nulla ratione habita earum lectionum, quas ego ex praestantissimo illo libro recipiendas esse putavi, ferri plane non posse, scilicet propter pravam pronominis collocationem. Profecto enim aut omittendum erat pronomen, aut debebat scribere Cicero *iussit, pretium ei tribui*, neque tamen potuit ab initio poni dativus, in quo quidem vis erat ponenda prorsus nulla. — Eundem errorem ex optimis libris correxit Zumptius *in Verr. A.* II, *l.* V, 36, 93 *Cum praetor quaereretur et constaret*, *neminem ei nuntiasse*; idque recepit etiam nuperrime Orellius. Ante Zumptium editores omnes praeter Lambinum cum deterioribus codicibus pessime *ei neminem nuntiasse.*

Ibidem. *pretium*. Sic Ambrosianus (scriptum est autem *praetium*) pro *praemium*, quod pessime in recentioribus legi dicitur codicibus. Primum enim Sylla haut sane existimandus est iussisse, *praemium* homini tribui; ipse enim, ut apparet ex verbis statim sequentibus *sed ea condicione, ne quid postea scriberet*, nequaquam significavit, *praemio* istud epigramma esse dignum, sed ideo tantummodo maius, quam meruerat, *pretium* homini tribuit, ut et ratione, quae se, tali homine, erat digna, eum absolveret, et iure ac merito posset condicionem ponere, ne quid postea scriberet. Rectius autem ipse Cicero infra, ubi de hac re loquitur, potuit dicere *Qui sedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam*; nam, quamquam Sylla illud, quod tribui iusserat homini, noluerat haberi pro *praemio* carminis, sed tantum ideo tribuit, ut satis recte posset vetare, ne quid postea scriberet, tamen Cicero, qui illo loco ad liberalitatem

maxime Syllae erga malum poëtam voluit attentos efficere auditores, Cicero igitur, praesertim cum addiderit illud *aliquo*, de qua re infra dicetur, prius potuit de *praemio* loqui quam Sylla. Accedit, quod in vulgata lectione aliam etiam ob causam inepta fere inest sententia. Nam si probaremus vulgatum *praemium*, sumendum esset, Syllam iussisse, ex rebus, quas vendebat, hoc est sine dubio ex aliquot vasibus argenteis aut aureis, vestibus, aut aliquo suppellectile unam aliquam rem, scilicet vas aliquod aut vestem pretiosam aut simile quid, homini tribui. Sed quis credat, ita istum donatum esse a Sylla, cui quidem *pecunia* erat tribuenda, non tamen res aliqua ex supellectile? Venio nunc ad sententiam explicandam, quae inest in his verbis *pretium ex is rebus, quas vendebat*, sicut primus ego gravissima nixus auctoritate codicis Ambrosiani edidi, ad sententiam apertissimam hanc *pretium, quod solveretur ex is rebus, quas vendebat.* Sylla enim, cum ei malus iste poëta libellum legendum subiiceret, id commode egit, ut quaedam bona proscriptorum venderet; posteaquam autem intellexit, malum esse istud epigramma, iussit, quod pretium ex illa parte rerum, quam commode vendebat, solveretur, id tribui homini, sed ea condicione, ne quid postea scriberet: ne igitur putes, pretium ex omnibus rebus, quas illo die vendiderit Sylla, tributum esse poëtae. Apparet autem, quam sit ineptum istud librari additamentum *tunc* sive *tum;* nam tum profecto cogitaretur de omnibus rebus, quas ille die vendidit Sylla. Atqui satis quidem magnum homini Sylla debebat tribuere pretium, ut iure posset vetare, ne quid postea scriberet. Nemo autem, opinor, considerata hac interpretandi ratione dubitabit, quin sit repertum a me, quid potissimum lateat in leviter corrupta lectione codicis Ambrosiani *enim*, nihil scilicet aliud nisi receptum illud *omne*, quod quam facile potuerit corrumpi in *enim*, supra mihi videor demonstrasse. Vertendus erit autem locus sic *er befahl sogleich, dass der ganze Ertrag aus dem, was er gerade verkaufte, jenem gereicht werde.* Atque haec quidem sententia vel aptissima est, quod ad universum hunc attinet locum. Cicero enim non sane istam rem narrasset, nisi ex ea magna Syllae liberalitas intelligeretur, qui cum in malum poëtam tam fuerit largus, tum optimum certe poëtam non repudiasset, si civitatem petisset. Optime autem respondet huic sententiae illud *quem nos in concione videmus,* quod vertimus supra *dessen Freigebigkeit wir noch in einer Versammlung sehen.* Collocatio etiam verborum *ex is rebus, quas vendebat, iussit omne pretium* est aptissima, ut omnis

vis ponatur in verbis *omne pretium.* Porro rectissime dictum est *ex is rebus pretium* pro *earum rerum pretium*, quod plane non caderet in hunc locum. Iam vero optime cohaeret illud *omne pretium* cum particula *sed.* Et mehercules nemo offendetur in eo, quod recepta illa lectione omittitur pronomen, quod quoties talibus locis ab Cicerone omissum sit, iam supra 2, 4 ostendimus ad locum simillimum *Quod si a vobis tribui concedique sentiam.* Denique huic totius loci sententiae, quae docet, a Sylla magnum aliquod pretium tributum esse poëtae, multo illuc quidem maius quam pro carminis virtute, hautquaquam repugnant verba, quae statim sequuntur, haec *Qui sedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam*, hoc est *Qui sedulitatem poëtae, quamquam erat malus, tamen aliquo praemio dignam duxerit.* Significat enim illud *aliquo praemio*, quod nos diceremus *Belohnung, sie mochte nun sein wie sie wollte*, atque respicit Cicero illam condicionem, quam pepigerat Sylla, ne quid postea scriberet poëta, propter quam cum dubitatione aliqua illud pretium homini tributum appellat *praemium.*

Ibidem. *sed ea condicione.* Tandem aliquando erat expellenda vulgata ista recentiorum codicum lectio, quam quidem ad unum omnes amplexi sunt editores, *sub ea condicione*, quam non esse Tullianam, tot homines doctissimos ignorasse, satis mirari non possum. Verissima est autem recepta illa lectio antiquissimi codicis Ambrosiani *sed ea condicione*, ut, quod nunc quidem tanta eius libri auctoritate nixus primus recepi, id mirere neminem adhuc hominem doctum assecutum esse coniectura. Nullo enim loco Cicero dixit *sub condicione*, sed hic scriptor solo usus est ablativo, ubi exprimendum erat nostrum *unter einer Bedingung.* Atque ne temere id videar affirmasse, liceat ostendere, satis attendisse me ad hanc rem; quare primum ex Ciceronis operibus locos omnis afferam, ubi in hac re usurpatum invenerim ablativum. Cf. igitur primum hos locos, quibus non sequitur *ut* aut *ne*, *Tusc.* I, 39, 93 *Quid est igitur, quod querare, si repetit, cum vult? ea enim condicione acceperas.* *d. Div.* II, 44, 93 *Volunt enim illi, omnis eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem condicione nasci.* *d. Orat.* I, 22, 101 *Iam vero ista condicione, dum mihi liceat negare posse quod non potero et fateri nescire quod nesciam, licet, inquit Crassus, vestro arbitratu percontemini.* *Orat.* 71, 235 *aut reperiam, ipse eadem condicione qui uti velit, ut aut dicat aut scribat, utra voles lingua, eo genere, quo illi volunt.* *p. Quint. qui, qua lege et qua condicione pereat,*

pronuntient. 31, 97 *ut secum aliquid integra sua fama qualibet, dummodo tolerabili, condicione transigeret.* *in Verr. A.* II, *l.* I, 52, 137 *qui nunquam ulla condicione istam turpitudinem subissent, nisi offici necessitudinisque ratio coegisset.* *A.* II, *l.* II, 59, 144 *quaero abs te, utrum ipsae civitates solitae sint statuas tibi faciundas locare ei, cui possent optima condicione locare.* *A.* II, *l.* III, 6, 12 *Siciliae civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut eadem condicione populo Romano parerent, qua suis antea paruissent.* 29, 70 *His legibus, his condicionibus erit quisquam tam stultus, qui decumas venisse arbitretur?* 50, 118 *ut antea solebant facere in decumis, cum aequa lege et condicione venibant.* *p. Cluent.* 34, 94 *sed quod accusante tribuno plebis condicione aequa disceptari posse non putaverunt;* et paullo post *statuerunt iniqua condicione reum causam dicere.* *d. L. Agr.* II, 7, 17 *Hoc tribuno plebis potissimum venit in mentem, populum Romanum universum privare suffragiis, paucas tribus non certa condicione iuris sed sortis beneficio fortuitu ad usurpandam libertatem vocare.* 26, 68 *Ne ei quidem, qui agros publicos possident, decedent de possessione, nisi erunt deducti optima condicione et pecunia maxima.* *p. Flacc.* 18, 43 *Pari felicitate una legatus venit Nicomedes, qui neque in senatum ulla condicione pervenire potuit, et furti et pro socio damnatus est.* *d. Prov. Cons.* 19, 46 *qua condicione auspicia requirebant, leges comprobabant.* *Philipp.* II, 15, 37 *qui si viverent, quamvis iniqua condicione pacis rempublicam hodie teneremus.* IV, 5, 12 *Agitur enim non, qua condicione victuri, sed victurine simus, an cum supplicio ignominiaque perituri.* XII, 6, 13 *An ille non vicerit, quacunque condicione in hanc urbem cum suis venerit?* *ad Fam.* V, 18, 1 *rogo te atque oro, qua condicione omnes homines et quibus temporibus nati simus, cogites.* 21, 2 *quavis tuta condicione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.* VI, 2, 2 *armis aut condicione positis aut defatigatione abiectis aut victoria detractis.* 4, 4 *cum cupiebam quamvis iniqua condicione pacem.* XI, 14, 2 *legionem Martiam et quartam negant, qui illas norunt, ulla condicione ad te posse perduci.* XIII, 14, 2 *operam des, ut quam commodissima condicione libertus Strabonis negotium conficiat ad nummosque perveniat.* — Iam conferantur ei loci, quibus sequitur *ut* aut *ne*, ut *d. Orat.* II, 7, 27 *Ego, inquit Iulius, pro utroque respondeo: sic faciemus, atque ista quidem condicione, vel ut verbum nullum faceres, me teneres.* *p. Rosc. Com.* 13, 38 *hac con-*

dicione, ut, si quid ille exegisset a Flavio, partem eius dimidiam Roscio dissolveret. *in Verr. A.* II, *l.* V, 22, 58 *soli in istius imperio ea condicione vixerunt, ut populo Romano nihil darent, Verri nihil denegarent.* *p. Font.* 16, 35 *quod ea condicione atque eo fato se in is terris collocatam esse arbitratur, ne quid nostris hominibus istae gentes nocere possint.* *p. Mur.* 27, 56 *tamen ea condicione nobis erat in hac civitate natus, ut eius opes et ingenium praesidio multis etiam alienissimis, vix cuiquam inimico exitio esse deberent.* *p. Sest.* 16, 37 *denique videbatur ea condicione tam fortis fuisse, ut cum patriae caritate constantiae gloriam commutaret;* et 38 *ea condicione gesseram, ut meum factum semper omnes praestare tuerique deberent.* *ad Att.* XV, 1, 1 *Sed ad haec omnia una consolatio est, quod ea condicione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus.* *p. Dom.* 57, 145 *me ac meum caput ea condicione devovi, ut mihi republica aliquando restituta liceret frui.* — Ne apud aequalis quidem oratoris nostri inveni istud *sub condicione,* sed nihil aliud nisi solum ablativum, ut in epistola Caecinae *ad Ciceronem* apud Cic. *ad Fam.* VI, 7, 4 *Sed tamen ego filio dixeram, librum tibi legeret et auferret aut ea condicione daret, si reciperes te correcturum, hoc est, si totum alium faceres.* Deinde in epistola Pollionis *ad Ciceronem ibidem* X, 31, 4 *Adde huc, quod perferri litterae nulla condicione potuerunt.* Sic apud scriptorem *ad Her.* IV, 24, 34 *At eos videbar ea accepisse condicione, ut eos, quoad possem, incolumis patriae et parentibus conservarem.* Sic saepenumero apud Caesarem, ut *B. G.* VII, 77 *ext.* *Neque enim unquam alia condicione bella gesserunt.* *B. C.* I, 9 *ext.* *Haec quo facilius certisque condicionibus fiant et iureiurando sanciantur aut ipse propius accedat aut se patiatur accedere: fore, uti per colloquia omnes controversiae componantur.* 85 *in.* *qui etiam bona condicione confligere noluerit.* III, 78 *in.* *Totius autem rei consilium his rationibus explicabat, ut illum pari condicione belli secum decertare cogeret.* Sic apud Cornelium Nepotem VIII, 3, 1 *fecit pacem his condicionibus, ne qui afficerentur exsilio.* Sic apud Sallustium *B. I.* 79 *ext.* *vel illi, quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem condicione sese, quem in locum vellent, processuros.* 112 *in.* *sibi per Dabarem ex Sylla cognitum, posse condicionibus bellum poni.* Sic apud Hirtium *B. G.* VIII, 40 *in.* *neque ab oppugnatione recedi videret ulla condicione posse.* — Apud unum Livium, qui quidem in rebus gram-

maticis non raro habet deteriora, duos inveni locos, quibus scriptum est *sub condicione* VI, 40 *m. Sub condicione, inquit, nos reficietis decimum tribunos;* et XXI, 12 *m. moriturum affirmans, qui sub condicionibus his de pace ageret;* sed, *ut apparet*, ne his quidem locis prorsus simile esset istud, quod deteriores libri apud Ciceronem habent, propterea quod nostro loco dictum esset *sub ea condicione*, *ne*, Livius autem tum solum videtur dixisse *sub condicione*, si est absolutum, neque sequitur *ut* aut *ne* aut *si*. Nos tale *sub condicione* verteremus *bedingungsweise;* quamquam ad id ipsum significandum ab eodem Livio saepius multo usurpatus est solus ablativus, ut II, 13 *in. His condicionibus composita pace agro Romano excessit.* IX, 9 *m. dum quacunque condicione arma viris in arma natis auferre festinant.* X, 13 *in. quod non Gallos quacunque condicione traxerint ad bellum.* XXIII, 7 *in. Legati ad Hannibalem venerunt pacemque cum eo condicionibus fecerunt.* 12 *m. non ante quam finitum aliqua tolerabili condicione bellum videro.* 14 *ext. quibus autem condicionibus in foedus amicitiamque novam transeant, parum constare.* XXVIII, 7 *ext. si modo aequa et honesta condicione liceat.* XXIX, 12 *in. Philippus Aetolos, quibus voluit condicionibus, ad petendam et paciscendam subegit pacem.* XXX, 16 *ext. His condicionibus placeatne pax, triduum ad consultandum dabitur.* XXXII, 36 *in. Aut his condicionibus se pacem impetraturum, aut, quascunque senatus dedisset, leges pacis accepturum.* XXXIV, 23 *ext. Aetolos polliceri, aut condicionibus et voluntate sua Nabin praesidium Argis deducturum.* 40 *m. eo deducta res est, ut his condicionibus, quae ex scripto paucis ante diebus editae erant, indutiae fierent.* XXXVII, 32 *m. si absistere furore vellent, potestatem iis dare eadem condicione, qua prius C. Livii in fidem venissent, se tradendi.* XXXVIII, 8 *in. ut pax, si posset, aequis; si minus, tolerandis condicionibus peteretur.* — Neque desunt apud Livium loci, quibus post hunc ablativum dictum est *ut* aut *ne*, velut V, 32 *m. donec Volsiniensibus fessis bello ea condicione, ut res populo Romano redderent, in viginti annos indutiae datae.* XXIV, 1 *ext. Hamilcarem Poenosque ea condicione, ut foedus extemplo aequis legibus fieret, in urbem acceperunt* XXVI, 30 *ext. quando ea condicione pro vobis, Patres conscripti, bella gerimus, ut victos armis accusatores habeamus.* XXXVIII, 38 *in. Amicitia regi Antiocho cum populo Romano his legibus et condicionibus esto: Ne quem exercitum transire sinito.* — Denique conferantur hi loci XXIII, 35 *m.*

tanta concordia coaluerant omnium animi, ut prope in oblivionem veniret, qua ex condicione quisque esset miles factus. XXXIV, 35 *in. condiciones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit.* XLI, 8 *ext. liberos suos Romanis in eam condicionem, ut manumitterentur, mancipio dabant.* — Ne apud Tacitum quidem inveni *sub condicione,* sed semel *condicione*, ut *Ann.* II, 46 *m. mox condicionibus aequis discessum;* semel *per condicionem,* ut *Hist.* III, 65 *ext. ponendis per condicionem armis.* — Quis sibi igitur non persuaserit, neque ferri posse apud Ciceronem istud *sub,* et verissimam esse codicis Ambrosiani lectionem *sed,* quae quam sit apta ad totius loci sententiam, non opus erit pluribus docere? Atque simillimum quidem *sub,* aeque tamen perversum, nimis diu retentum est in editionibus apud Cic. *d. Amic.* 25, 93 quo loco quamquam codices optimi ac plerique habent *in Gnathonis persona,* tamen omnes fere editores praeter Klotzium receperunt istam non Tullianam lectionem *sub Gnathonis persona.* — Mirum est autem, tale *sed,* quale nostro loco restituimus, quamvis sit concinnum, interdum criticorum iniuria esse oblitteratum. Cf. *Tusc.* I, 7, 14 *sic enim mihi in praesentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα; utar post alio, sed si invenero melius;* quo loco plerique codices, optimus etiam Regius, quod colligas ex Orelli annotatione, tuentur illud *sed* ante *si.* Sed praeter Gebhardum et Davisium nemo editor illud recepit; quin Wolfius fertur dixisse, *sed* illo loco plane esse perversum. At quid sit in eo perversi, ego non perspicio. Ita plane apud scriptorem *ad Heren.* I, 1, 1 *Nunc ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere incipiemus, sed si te unum illud monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multum iuvare.* Hoc loco quamquam codices omnes, etiam optimi codices Turicensis et Erfurtensis, habent illud *sed,* tamen editores omnes post Gruterum et Ernestius et Schuetzius et Burmannus et Orellius temere omiserunt *sed.*

Ibidem. *cuius.* Miro iudicio omnes fere editores praeter Gruterum pro *cuius,* quod in plerisque legitur codicibus, etiam in optimo Erfurtensi, receperunt lectionem *huius*, quae ut pauciorum ac deteriorum nititur librorum auctoritate, sic, ne quod ad sententiam quidem attinet loci, ullo pacto erat praeferenda. Apparet autem, a criticis *cuius* correctum esse in *huius* propter verba statim sequentia, in quibus rursus Cicero ad Archiam transit. Opinati sunt enim, arte debere cohaerere haec cum sequentibus, neque viderunt, verba *Quid? a Q. Metello Pio — impetravisset?* respondere illis, quae supra erant dicta, *Sylla, cum Hispanos donaret et Gal-*

los, credo, hunc petentem repudiasset: haec autem verba *Qui sedulitatem — dignam, cuius — non expetisset?* ideo tantum a Cicerone interposita esse, ut concluderet aliquid ex ista re, quam modo narraverat. Concludit autem hoc, Syllam, qui sedulitatem mali poëtae duxisset aliquo tamen praemio dignam, nullius profecto ingenium et virtutem in scribendo et copiam non fuisse expetiturum.

Ibidem. §. 26. *qui praesertim.* Sic *in Caec.* 2, 4 *Dicebam, eos habere actorem Q. Caecilium, qui praesertim quaestor in sua provincia fuisset.*

Ibidem. *poëtas, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum.* Sic *d. Orat.* III, 12, 44 *Quare cum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur.* *d. Rep.* III, 2, 3 *eademque cum accepisset homines inconditis vocibus incohatum quiddam et confusum sonantis, incidit has et distinxit in partis.* *d. Off.* III, 21, 83 *Honestate igitur dirigenda utilitas est, et quidem sic, ut haec duo verbo inter se discrepare, re unum sonare videantur.* *d. Fin.* II, 2, 6 *Nunc autem dico, ipsum Epicurum non intelligere interdum, quid sonet haec vox voluptatis.* *Brut.* 46, 171 *Audies tu quidem etiam verba quaedam non trita Romae, sed haec mutari dediscique possunt; illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam et resonat urbanius.* 74, 259 *Cotta, quia se valde dilatandis litteris a similitudine Graecae locutionis abstraxerat sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quidem quasi inculta et silvestri via ad eandem laudem pervenerat.* *d. Rep.* I, 2, 2 *usus autem eius est maximus civitatis gubernatio et earum ipsarum rerum, quas isti in angulis personant, reapse non oratione perfectio.* — Contra semel cum ablativo *d. Fin.* II, 15, 48 *Si enim ad honestatem omnia referantur neque in ea voluptatem dicant inesse, ait, eos inani voce sonare.* Neque tamen erat ulla causa, cur offenderent Davisius et Goerenzius his in verbis; nam quis negabit, potuisse sic dici? Semel cum adverbio *ita d. Orat.* III, 11, 42 *Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur.*

Ibidem. *tamen auris suas dederet.* Sic *ad Att.* II, 14, 2 *Vides enim, quibus hominibus aures sint deditae meae.* Cf. Doederl. *Syn.* IV, p. 135.

Cap. XI. ead. §. *studio laudis.* Scripsi cum optimo codice Erfurtensi *studio laudis* pro *laudis studio*, neque id

feci temere; nam propter verbum *trahimur* ponendus erat sonus in vocabulo *studio*, non, ut in vulgata, in *laudis*.

Ibidem. *Ipsi illi philosophi.* Quamquam ad unum omnes codices, ipse quoque Erfurtensis, habent *illi*, tamen Schuetzius, non improbante Orellio, temere omisit pronomen, quasi vero quis posset rite offendi in eo propter sequens *illis*. Apparet enim, de industria Ciceronem repetisse istud potissimum pronomen, ut et ipsos urgeret philosophos et libellos eorum, quos dè contemnenda gloria scribunt.

Ibidem. *etiam illis libellis.* Cf. locum simillimum *Tusc.* I, 15, 34 *Quid? nostri philosophi nonne in is ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt?* Nostro tamen loco plerique, ut videtur, codices, optimus etiam Erfurtensis, omittunt ante *illis* praepositionem *in*, quam receperunt Lambinus, Graevius, Matthiaeus, nec id improbaverat Orellius. Ego tamen maxime propter auctoritatem libri optimi acquievi in vulgata, atque in eo quidem certe falsus est Matthiaeus, quod negavit, Ciceronem unquam dixisse *nomen inscribere rei* pro *in re.* Ita plane *d. Harusp.* 27, 58 *vestris monumentis nomen suum inscripsit;* nisi forte Matthiaeus quoque ex eo numero est, qui negant, illam orationem esse scriptam ab ipso Cicerone.

Ibidem. *in eo ipso, in quo — volunt.* Mira audacia Weiskius et Matthiaeus ex Ammian. Marc. XXII, 7, qui hunc locum liberius affert, pro his verbis scripserunt *ut in eo ipso — velint*, quasi vero non sit aptissimum hoc loco asyndeton. Cf. enim ea, quae 7, 16 ad verba *percipiendam, colendam* de asyndetis disputata sunt, ex quibus intelligetur, referendum esse hunc locum ad quartum, quod posui, genus. Idem Ammianus Marcellinus pro *in quo* habet *quo*, aut, ut in aliis legitur libris, *quod;* neutrum tamen verius est quam *in quo*, sicut Ciceronis habent codices omnes. Weiskius recepit *quod.*

Ibidem. *praedicare de se ac nominari volunt.* Sic ad unum omnes codices Ciceronis, sed apud Ammianum Marcellinum ex manifesta correctione scriptum est *ac se nominari*, quod nequaquam debebat recipi a Weiskio. Non minus temere Lambinus pro *praedicari de se* scripsit *praedicari se;* nam cum et potuerit dici *volunt praedicari de se*, et *volunt nominari*, non est quod offendamur in utraque dictione coniuncta. Non raro autem a Cicerone dictum est *praedicare de aliquo* sine accusativo, ut *p. Rosc. Com.* 6, 19 *Sed, ut opinor, laudem veritati tribuebas, crimen gratiae concedebas, de hoc, ut existimabas, praedicabas, Chaereae arbitratu cau-*

sum agebas. ad Att. II, 1, 6 *quem de meis rebus, in quas eum multi incitarant, multo scito gloriosius quam de suis praedicare.*

Ibidem. §. 27 *summus vir.* Cum optimo codice Erfurtensi, aliis codicibus, omisi pronomen *ille*, quod ceteri deteriores codices addunt post *summus.* Omiserat iam Stephanus.

Ibidem. §. 28. *huius urbis atque imperi.* Sic cum paucioribus libris rectissime editores fere omnes. Codex Erfurtensis, ut multi alii, omisit ipse quoque vocabulum *urbis* (omissum est autem sine dubio propter simillimas litteras proximas *uius*); ille tamen servavit *atque*, quod in multis codicibus dicitur esse corruptum in *aeque.* Cf. *in Cat.* I, 13, 33 *huius urbis atque imperi.*

Ibidem. *pro — et pro — proque.* Cf. *in Cat.* IV, 11, 23 *pro his igitur omnibus rebus et pro meis in vos singularibus studiis proque hac, quam perspicitis, ad conservandam rempublicam diligentia.* I, 13, 33 *cum summa reipublicae salute et cum tua peste ac pernicie cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque iunxerunt. in Verr. A.* II, *l.* V, 4, 8 *Etenim cum nihil tam coniunctum sit quam negotiatores nostri cum Siculis, et cum ipsi Siculi res suas constitutas habeant, cumque haec pericula provisa sint. Tusc.* V, 39, 113 *cum in philosophia versaretur, et cum fidibus uteretur, cumque libri legerentur.* Non facile autem apud Ciceronem invenies *pro — proque — et pro, cum — cumque — et cum,* hoc est in praepositionibus aut coniunctionibus; nam in aliis vocabulis interdum ista copularum secutio invenitur.

Ibidem. *adoravi.* Sic verissime praestantissimus codex Ambrosianus; annotavit autem ad hoc vocabulum doctissimus ille scholiastes haec: *Hoc verbum „adoravi" significat „cohortatus sum." „Adoravit" autem „orare et petere" significat;* quibus nihil habeo quod addam; nam *adoravi* hoc quidem loco idem fere significare quod *cohortatus sum,* et ipsa huius loci docet sententia, nec ea significatio origini verbi repugnat. Etenim ita profecto debet *adorare* differre ab *exorare,* ut verbo *exorare* contineatur significatio eventus, quem habent preces, contra ut *adorare* nihil aliud significet nisi *precibus adire.* Rarissime tamen sic apud Latinos hoc vocabulum usurpatum invenitur, nullo quidem praeterea loco apud Ciceronem. Ita prorsus Ovid. *Trist.* I, 3, 41 *Hac prece adoravi Superos.* Sic id. *Fast.* V, 449 *venit adoratus Caducifer.* Sic Virg. *Aen.* X, 677 *volens vos Turnus*

adoro; ad quem versum sic Servius „*Adorare*" *veteres* „*alloqui*" *dicebant*. Similiter Liv. VI, 12 *m. dictator cum hostia caesa pacem deum adorasset.* Quis autem non miretur, quod Niebuhrius et Maius, quamvis sit vera illa codicis Ambrosiani lectio, tamen sibi potuerunt persuadere, esse corruptum in illo codice illud *adoravi* bis et in Ciceronis verbis et semel, priore scilicet loco, apud scholiastam ex *adhortavi*, sicut in aliquot codicibus Ciceronis legitur? Causam quidem, cur illi homines doctissimi de hac corruptela cogitaverint, mihi videor perspexisse; opinati sunt enim, ex uno ipsius scholiastae vocabulo, ex particula *autem*, intelligi, pro *adoravi* duobus illis locis aliud aliquid fuisse scriptum. Atqui primum dolendum est, quod homines illi non perspexerunt isto loco vim particulae *autem*, quae hercle nihil aliud significat nisi quod nos possumus vertere *anderseits*, de qua quidem particulae significatione praeclare disputavit Handius *Turs.* I, p. 562 seqq. Vulgo quidem dicunt tale *autem* significare *item.* Deinde satis mirari non queo, quod potuerunt illi duumviri credere, scholiastam, si legisset in codice suo *adhortavi*, fuisse annotaturum: *Hoc verbum* „*adhortavi*" *significat* „*cohortatus sum.*" Tum enim non sane locutus esset de *verbo* „*adhortavi*," sed sine dubio de *activo* illius verbi inusitatissimo; et quis credat, scholiastam istud *adhortavi* fuisse interpretaturum *cohortatus sum* ac non *adhortatus sum?* Accedit, quod, si sumamus, legisse scholiastam *adhortavi*, nullo pacto potest explicari, quare adiecerit ista „*Adoravit*" *autem* „*orare et petere*" *significat;* quae verba tum alienissima forent ab isto loco. Nemo igitur de veritate lectionis *adoravi* posthac dubitabit. — Sequitur autem ut loquar de corruptelis, quas expertum est hoc vocabulum in recentioribus codicibus. Enimvero qui scit, quoties librarii ante vocalis soliti sint ponere litteram *h*, is statim intelliget, quemadmodum ex scriptura *adhoravi* potuerit in aliquot codicibus oriri mirum illud perfectum *adhortavi*, aut, sicut in compluribus legitur codicibus, omissa praepositione, *hortavi.* Multi autem exstiterunt homines docti, ut Pareus, Heumannus, Schellerus, Schroeterus, alii, qui probaverunt hoc loco talem archaismum, qui quominus pro soloecismo habeatur, impedit Prisc. VIII, 4; neque reputarunt illi, nullam prorsus fuisse causam, quare Cicero hoc loco talem archaismum admitteret. Sed hic error in critica exercenda quamvis fuerit magnus, tamen possunt excusari illi homines docti, propterea quod ex codicibus, quos tum habebant, vera scriptura non fere potuit erui. At pauci libra-

rii, cum suo iure offensi essent in isto perfecto *adhortavi*, pro *adhortavi* scripserunt *adhortatus sum*, atque sic legitur in codice Erfurtensi; ab aliis autem, qui in codicibus suis invenerant *hortavi* nec id probabant, scriptum est *hortatus sum*, atque haec quidem lectio adhuc fuit vulgata. Denique ex codice Barberino altero enotatum est *hortatus fui*. Apparet igitur, facillime ex recepta lectione *adoravi* omnis potuisse oriri codicum turbas. Quis autem non miretur illud pravae criticae specimen, quod ediderunt novissimi editores Forcellini de hoc loco, ut de tot aliis, sub verbo *adoro*, ubi ad refutandam Furlanettonis rationem, qui quidem rectissime, in lexico suo propter gravissimam auctoritatem libri Ambrosiani, quam bene videtur perspexisse, laudaverat hunc huius orationis locum, has attulerunt causas: „ob discrepantiam scripturae hunc locum afferri non posse ac paucos tantum hunc archaismum (?) probare.“? — Restat, ut alios indicem locos, quibus eodem modo *orandi* verba confusa sint cum verbis *hortandi*; velut *d. Senect.* 12, 42 *Ille enim cum esset consul in Gallia exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis.* Rectissimo iudicio plerique editores scripserunt *exoratus*, quam lectionem verissimam tuetur praestantissimus codex Regius, quamquam deteriores libri multi, ut Erfurtensis, Trevirensis, Basileensis, Haenelianus, habent *exhortatus*. *p. Flacc.* 37, 92 *Quis is est igitur? ipse ille tibi, se ad matrem et sororem scripsisse, narravit? an etiam scripsit oratu tuo?* Plerique codices habent *oratu*, paucissimi *hortatu*. Apud scriptorem *ad Heren.* IV, 15, 22 *Utrum aliquem exorari oportuit, qui ista prohiberet ac fieri non sineret, an non?* Multi, ut videtur, codices habent *exorari*, alii *exhortari*, alii *exortari*, alii *exornari*. *d. Orat.* II, 3, 11 *Sed quo citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omissa nostra oratione ad eorum, quos proposuimus, sermonem disputationemque veniamus.* Pro *oratione*, quod verissimum est, alii legunt *adhortatione*, alii *cohortatione*, alii *exhortatione*.

Ibidem. *Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae.* Ita plane *Philipp.* V, 13, 35 *Neque enim ullam mercedem tanta virtus praeter hanc laudis gloriaeque desiderat.* Quod autem dixit utroque loco *praeter hanc laudis*, in eo ne quis offendatur, erit cavendum. Pravus quidem fuisset germanismus *praeter hanc*, aut *eam*, aut *illam laudis*, nisi ante iam de laudis mercede esset dictum, veruntamen, cum paullo ante

de mercede laudis et gloriae locutus esset Cicero, rectissime potuit dicere *praeter hanc laudis et gloriae.* Similiter in *Brut.* 21, 83 *At oratio Laeli de collegiis non melior quam de multis quam voles Scipionis, non quo illa Laeli quicquam sit dulcius.* Non magis poteris offendi in is locis, quibus pronomini statim additur enuntiatio relativa, post hanc autem explicationis causa positus est aliquis genitivus. Sic *d. Orat.* II, 24, 101 *Ita dum inertiae vituperationem, quae maior est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis.* *in Verr. A.* II, *l.* IV, 37, 81 *quae cognatio studiorum et artium propemodum non minus est coniuncta quam ista, qua vos delectamini, generis et nominis.*

Ibidem. *tantis nos in laboribus exerceamus.* Habent praepositionem hoc loco plerique codices, etiam Erfurtensis; ac temere cum paucissimis codicibus eam omisit Lambinus, cuius rationem non debebat commendare Orellius. Ita prorsus enim locutus est Cicero *Tusc.* V, 1, 3 *Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans huic incipio sententiae diffidere interdum et humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere;* aliis locis.

Ibidem. §. 29. *nec — neque — nec.* Cum optimo codice Erfurtensi pro *nec — neque — neque* scripsi *nec — neque — nec,* neque id temere me fecisse, apparebit ex libro de vocabulis negantibus.

Ibidem. *de ipsa vita,* Scripsi cum codice Erfurtensi *de ipsa vita* pro prava ceterorum codicum lectione *de vita ipsa.* Pronomen *ipse* enim ita tantummodo potest postponi, si idem fere significabitur atque est *solus,* nequaquam vero tum, cum significandum est *adeo.* Recte igitur erat postpositum supra 7, 15 *naturae ipsius* et 8, 18 *natura ipsa.* Item recte *d. Rep.* VI, 9, 9 *nomine ipso.* *p. L. Man.* 5, 13 *adventu ipso.* 6, 15 *metus ipse.* *p. Sest.* 9, 21 *nobilitate ipsa.* 12, 28 *oratio ipsa.* 28, 60 *voce ipsa.* 53, 113 *voluntate ipsa.* *in Pis.* 20, 45 *recordationem ipsam:* quamquam interdum etiam in anteposito *ipse* inest significatio *solus,* ut supra 9, 21 *ipsa natura.* *d. Off.* II, 9, 32 *ipsa fama.* *Tusc.* V, 5, 14 *ipsa prudentia.* *Orat.* 51, 173 *ipsa natura.* *p. L. Man.* 15, 45 *ipso nomine.* *p. Planc.* 13, 31 *ipso nomine.*

Ibidem. *noctis ac dies.* Hanc verissimam lectionem *ac* pro *et,* quam iam Iuntina editio atque Stephanus ex codicibus, ut verisimile est, receperant, confirmavit optimus Erfurtensis, quare non dubitavi deserere vulgatam. Ita *d. Fin.*

I, 16, 51 *noctis atque dies*, quo loco rectissimo indicio plerique editores repudiarunt multorum codicum lectionem *noctisque diesque*.

Ibidem. *dimittendam*. Sic rectissime codices omnes, optimus etiam Erfurtensis, ac temere Lambinus, non improbante Orellio, pro *dimittendam* scribendum esse coniecerat *dimetiendam*. Significat enim *dimittere*, ut toties, nostrum fere *fahren lassen*. Nec facile apud scriptorem Latinum invenietur dictio *dimetiri aliquid cum aliqua re*. Magis etiam miranda est Schuetzi audacia, qui pro *dimittendam* scripserit *commetiendam*, quamquam id quidem certe esset Latinum.

Cap. XII. §. 30. *tam pravi animi*. Est verissima haec codicis Erfurtensis lectio *pravi* pro *parvi*, sicut in ceteris legi dicitur codicibus pessime. Non magis enim *parvi* est animi, arbitrari, nobiscum simul moritura omnia, quam est *magni* animi, non arbitrari, nobiscum simul moritura omnia. Quid potissimum significet *parvus animus*, intelligi potest ex loco *d. Off*. I, 20, 68 *Nihil enim est tam angusti animi tamque parvi quam amare divitias*. Nos verteremus *kleinliche Sinnesart*. Atque cum potius absurdissimus esset is, si qui posset arbitrari, nobiscum simul moritura omnia, hoc est, nobiscum simul morituras etiam res gestas nostras, atque cum vitae tempore dimitti etiam commemorationem nominis nostri, apparet, prorsus non cadere in hunc locum istum *parvum animum*. Nam profecto *absurdum* aliquid cogitare non est *parvi* animi, sed *pravi*. Atque hanc quidem insulsitatem lectionis vulgatae optime perspexerat Ernestius, qui quidem rectissimo indicio contenderit, propter istum *parvum* animum in sequentibus requiri potius *nobiscum simul mori omnia velimus* quam *nobiscum simul moritura omnia arbitremur*; *parvi* enim esse animi, *velle* nobiscum simul mori omnia. Contra quam est praeclara lectio *pravi!* nam cum *pravus animus* nostrum fere sit *verkehrte Sinnesart*, quis non videat, aptissimam fieri totius loci sententiam? *Pravi* esset enim animi, arbitrari, nobiscum simul moritura omnia, id quod nemo unquam arbitratus est, nec mehercule potuit arbitrari sanus quisquam. Quod vero idem Ernestius pro *videamur esse* potius exspectaverit *videmur esse*, tamquam dictum pro *sumus*, in hoc erravit vehementer. Non enim vidit homo doctissimus, Ciceronem, cum voluerit significare nihil aliud nisi hoc *Nos, qui — versamur, non sumus tam pravi animi, ut — arbitremur*, propter interrogationem prius enuntiationis membrum aliquid immutasse hoc pacto *An vero tam pravi animi videamur*; nos verteremur *Oder möchten wir* ...

der That von so verkehrter Sinnesart erscheinen. Quare, cum illud *videamur* proprie etiam ad id pertineat, quod dictum est hoc modo *ut — arbitremur*, ut fere dictum sit pro *ut — arbitrari videamur*, verba haec *ut — arbitremur* videntur quidem scripta esse pro *quasi — arbitremur*; quamquam rectissime dixit *ut — arbitremur*, propterea quod in verbis proximis nulla alia inest sententia nisi haec *Nos non sumus tam pravi animi.* — Saepe autem coniunctio *ut* nostro sermone melius reddetur *als wenn* quam *so dass*, quamquam cavendum est, ne quis credat, *ut* revera significare idem atque *quasi*. Cf. *Tusc.* V, 28, 81 *Sapientis est enim proprium, nihil, cum acciderit, admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur. d. Rep.* I, 40, 62 *tum prorsus ita acta pleraque, ut in populo essent omnia. d. Orat.* I, 25, 115 *Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit.*

Ibidem. *videamur homines.* Primum pro ineptissima lectione omnium codicum *omnes*, quam quidem adhuc fuisse vulgatam, satis mirari nunquam potui, ego de coniectura mea, quam certissimam dico, scripsi *homines.* Saepissime autem confusa esse vocabula *omnes* et *homines*, ignorat nemo. Sed iam causa afferenda est, cur ineptissimam dixerim lectionem *omnes.* Hanc enim habes in vulgata sententiam, quae possitne ferri ullo pacto, iudicabis ipse: *Multi quidem, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versati sunt, ita pravi fuerunt animi, ut secum simul moritura omnia sint arbitrati, verumtamen num nos omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, tam pravi animi videamur homines, ut illud arbitremur?* Quis vero credat, voluisse Ciceronem significare, fuisse homines, idque eos, qui in vitae periculis laboribusque essent versati, tam pravi animi, qui existimarent, res eas, quas gessissent, secum simul esse morituras, id quod ne absurdissimus quidem potuit arbitrari homo? Nam profecto, si quid a te est gestum, id manebit, nec morietur, si ipse moriere. Tantum igitur abest, ut putandus sit Tullius talia significasse, qualia ne potuit quidem significare, quia fuissent falsissima, ut debuerit dicere, neminem unquam hominem, praesertim fortem virum, talia arbitratum esse: ita absurdam esse talem opinionem. Accedit, quod in vulgata lectione aegre poterit defendi solus ille genitivus *pravi animi*, non addito vocabulo, a quo pendeat. Quo enim loco Cicero dixit unquam *Es pravi animi* pro *Es pravi animi homo?* — Deinde omisi cum optimo Erfurtensi verbum *esse* post *videamur*, quod

quam facile a librario potuerit addi, nemo non videt. Non addidisse autem ipsum Ciceronem istud *esse*, ex eo etiam poterit colligi, quod, si ponatur, turbata est loci concinnitas omnesque cadunt numeri.

Ibidem. *nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus.* Cf. *d. Div.* II, 47, 99 *Fac in puero referre, ex qua affectione coeli primum spiritum duxerit.* *d. Inv.* I, 46, 86 *si spiritum ducit, vivit.* *p. Rosc. Am.* 45, 131 *spiritum, quem ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus.* Sic in oratione *Antequam iret* 11, 27 *uti liberum spiritum ducendi nullam habeat potestatem.* Sic apud scriptorem *ad Heren.* IV, 33, 45 *Itaqua anhelans ex imis pulmonibus prae cura spiritus ducebatur.* Sic apud Liv. XLII, 23 *ext.* *Perire namque semel ipsis satius esse, quam sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum ducere.* — Alio tamen modo dicti sunt hi loci *ad Fam.* X, 1, 1 *sed me patria sollicitat in primisque, mi Plance, exspectatio consulatus tui, quae ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus reipublicae spiritum ducere.* Iungenda sunt enim verba *reipublicae spiritum ducere*, hoc est, *reipublicae spiritum protrahere.* Similiter *p. L. Man.* 12, 33 *Cnidum aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbis, innumerabilisque alias captas esse commemorem, cum vestros portus atque eos portus, quibus vitam et spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis.* Hoc est *protrahitis.*

Ibidem. *An statuas et imagines, non animorum simulacra sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt: consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam?* Hunc totum locum, ita plane scriptum in optimo codice Erfurtensi plurimisque aliis, primus recte constituit Matthiaeus, qui quidem primum cum codice Erfurtensi aliisque compluribus omisit post *An* coniunctionem *cum*, a grammatico explicandi causa insertam: tum cum omnibus fere codicibus, etiam Erfurtensi, scripsit *reliquerunt* pro *reliquerint*, quae forsitan coniectura sit Lambini: denique ex codicibus ad unum omnibus restituit Ciceroni lectionem *nonne* pro coniectura eiusdem Lambini *non.* Omnium autem errorum, qui quidem satis multi hoc loco ab hominibus doctissimis, etiam ab Haudio *Turs.* I, p. 357, sunt commissi, haec est causa, quod plane non sunt recordati, hanc huius loci conformationem usitatissimam esse, ubi argumentatio, ut hoc loco, procedat a minore ad maius. Ita plane *in Cat.* I, 1, 3 (quem unum locum laudavit Matthiaeus) *An vero vir am-*

plissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus interfecit: Catilinam, orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? d. Nat. D. II, 6, 17 *An vero, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut, etiamsi dominum non videas, muribus illam et mustelis aedificatam putes: tantum ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum coelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum, si tuum ac non deorum immortalium domicilium putes, nonne plane desipere videare?* d. Div. I, 39, 84 *Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quae disputavi, verissima, si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si Graeci, si barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poëtae, si sapientissimi viri, qui respublicas constituerunt, qui urbes condiderunt? an, dum bestiae loquantur, exspectamus: hominum consentiente auctoritate contenti non sumus?* Totum hunc locum primus videor recte distinxisse; nam perperam adhuc editores plene interpunxerunt post *verissima,* atque coniunxerunt illa *Si ratio — condiderunt* cum his *an — sumus;* quasi vero *an* significare posset *num.* Si ista voluisset coniungere Cicero, dixisset profecto hoc modo: *An vero, si ratio — condiderunt, dum bestiae loquantur, exspectamus?* Tusc. V, 14, 42 *An Lacedaemonii, Philippo minitanti per litteras, se omnia, quae conarentur, prohibiturum, quaesiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus: vir is, quem quaerimus, non multo facilius tali animo reperietur quam civitas universa?* p. Planc. 10, 26 *An Minturnenses coloni, quod — prosecuti sunt, aeterna in laude versantur: Plancio, quod — conservarit, honori hanc fidem, misericordiam, virtutem fuisse miraris?* 17, 41 *An vero nuper clarissimi cives nomen editici iudicis non tulerunt, cum — parerent: nos neque ex delectis iudicibus, sed ex omni populo, neque editos ad reiiciendum, sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiiciamus?* p. Font. 8, 16 *An vero illi equites Romani, quos nos vidimus, qui nuper in republica iudiciisque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro testi non crederent: vos Volcarum atque Allobrogum testimoniis non credere timetis?* Quo loco temere Orellium coniecisse *timebitis* pro *timetis,* iam supra 9, 19 docuimus ad vocabulum *repudiamus.* p. Rab. Perd. 5, 16 *An vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum benignitas vindicta una liberat: nos a verberibus, ab unco, a*

crucis denique terrore neque res gestae, neque acta aetas, neque vestri honores vindicabunt? *Philipp.* I, 7, 16 *An in commentariolis et chirographis et libellis se uno auctore prolatis, ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Caesaris firma erunt: quae ille in aes incidit, in quo populi iussa perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur?* XIV, 5, 12 *An, si quis Hispanorum aut Gallorum aut Thracum mille aut duo millia occidisset, eum hac consuetudine, quae increbuit, imperatorem appellaret senatus: tot legionibus caesis clarissimis ducibus supplicationum honorem tribuemus, imperatorium nomen adimemus?* — Plura exempla, si qui desiderabit, praebet Handius *Turs.* I, p. 350, qui acute, ut solet, de his locis disputat.

Ibidem. *Haec sive.* Pessime vulgo legitur *Haec vero sive*, ac iam Schroeterus optime intellexerat, propter proximum illud *Ego vero* istud *Haec vero* auribus esse ingratissimum. Atqui si magis voluisset inquirere in hunc locum, quod quidem ille fecit rarissime, vidisset profecto, ne Latinum quidem esse hoc loco istud *vero*. Quis enim non videat, propter apodosin talem *nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector* istud *vero* nihil habere, ad quod referatur? et hercle, ut recte diceretur *vero*, debebat esse apodosis haec *nunc quidem certe cogitatione speque me delectat.* Sed talia flocci solent facere homines doctissimi; quasi vero quis posset loqui exempli causa hoc pacto *Tu vero si hoc facies, ego te laudabo* pro *Tu si hoc facies, ego te laudabo.* Originem autem istius corruptelae indicat optimus codex Erfurtensis, in quo omissum est vocabulum *sive*, quod tamen optimorum scriptorum dicendi consuetudo nequaquam sinit omitti. Nam cum a Cicerone scriptum esset *Haec sive*, antiquus autem librarius illud *sive* legisset *vero* (facillime enim propter maximam litterarum similitudinem potuerunt confundi ista vocabula), in aliis quidem codicibus, ut in codice Erfurtensi, remansit illud dupliciter pravum *Haec vero a meo sensu*, alii tamen librarii, qui intellexerant, in hac lectione desiderari prius *sive*, servato isto *vero* illud inseruerunt, neque perspexerunt, ipsum illud *vero* corruptum esse ex *sive*. Cf. *p. Deiot.* 15, 41 *Quod nomen hi reges ne amitterent, te victore, timuerunt: retentum vero et a te confirmatum posteris etiam suis tradituros confido. Corpora sua pro salute regum suorum hi legati tibi regii tradunt.* Vulgo *Corpora vero sua*, sed rectissime omisit codex Erfurtensis istud *vero*.

Ibidem. *afutura est — pertinebit.* Sic suo iure cum codicibus plerisque atque optimis, ut Erfurtensi, editores fere

omnes, nec poterit ullo pacto defendi paucissimorum librorum lectio *afutura sunt — pertinebunt,* quasi vero tam fuerit ineptus Cicero, ut cogitaret hoc loco de rebus suis gestis ipsis, ac non de earum memoria. — Scripsi autem *afutura* (in Erfurtensi quidem codice prava est scriptura *affutura,* nostram nimirum confirmans rationem) pro vulgato fere *abfutura,* quippe cum ex optimis libris nunc satis constet, Ciceronem dixisse *afuturus,* non *abfuturus.* Cf. *ad Att.* XIII, 2, 3 *Mihi quidem videtur etiam diutius afuturus.* Sic etiam Mediceus. *ad Quint. Fr.* I, 1, 11, 34 *calamitatem afuturam fuisse.* Sic idem Mediceus.

Ibidem. *ad aliquam animi mei partem.* Sic verissime omnes fere codices, optimus etiam Erfurtensis. Non raro enim Cicero locutus est de *partibus animi,* quas nos quidem appellamus *Bestandtheile der Seele.* Sic *Tusc.* IV, 36, 78 *quid est autem se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partis rursum in suum locum cogere?* Sic optimi codices *d. Off.* II, 10, 37 *Nam voluptates, blandissimae dominae, maiores partis animi a virtute detorquent.* Commemoravit autem, ut recte iudicat Matthiaeus, nostro loco orator ideo *animum,* ut significaret, si quicquam hominis, *animum* certe post mortem fore superstitem. Neque temere dixit *ad aliquam animi mei partem,* et non simpliciter *ad animum meum,* quia voluisse videtur significare, fortasse animum nostrum non plane eundem fore post mortem atque fuerit in vita, sed alias eius partis posse deleri, alias manere. Quare nequaquam a tot hominibus doctissimis erat probanda duorum codicum, eorumque dubiae auctoritatis, lectio *ad aliquam mei partem,* quae haut scio an orta sit ex recordatione illius versus Horatiani *Od.* III, 30, 5 *Non omnis moriar, multaque pars mei Vitabit Libitinam.*

Ibidem. §. 31. *quem amicorum videtis.* Rectissime ita omnes fere codices, etiam Erfurtensis; contra paucissimi libri antiqui, nec ita magnae auctoritatis, Dresdensis scilicet et Pithoeanus, atque cum his nonnullae editiones veteres, post *amicorum* addunt *studiis:* cuius lectionis origo non est obscura. Is enim, qui primus inseruit istud *studiis,* cum et legeret in codice suo *tum — tum etiam,* sicut adhuc omnes editores, et *venustate,* ut codices fere omnes dicuntur habere, pro *vetustate,* atque intellexisset, ineptissime dici *venustate* amicorum comprobatum esse *pudorem* Archiae, in miram incidisse putandus est opinionem, verba illa *tum dignitate, tum etiam venustate* non ad amicos pertinere, verum ad ipsum Archiam: iungendum esse autem *hominem pudore eo — tum* (deinde)

dignitate, tum (deinde) *etiam venustate, ingenio — causa.* Posteaquam autem verissimam esse hanc opinionem sibi persuasit, necesse erat, de coniectura insereret ablativum, a quo penderet genitivus *amicorum.* Inseruit igitur *studiis.*

Ibidem. *cum dignitate, tum etiam.* Scripsi primus ego cum optimo codice Erfurtensi *cum dignitate* pro *tum dignitate,* quod ne Latinum quidem esse idem ego primus audeo affirmare. Non sunt enim omnia Latina, quae nunc putantur; plurimi quidem iam errores inveterati, posteaquam rite sunt illustrati, conciderunt, nec tam eramus religiosi, ut, si quae falsa a patribus habita erant pro veris, temere in horum verba iuraremus. In is autem erroribus, qui adhuc non invenerunt, a quo sint impugnati atque infracti, omnium fere est maxime pervagatus ac tamen pessimus hic, quod multa iam per saecula homines docti sunt opinati, *tum — tum* apud Latinos non solum significasse *bald — bald,* sed etiam *sowohl — als auch.* Error, inquam, est pessimus; nam primum ipsa ratio docet, particulas *tum — tum,* quae ad solum tempus pertinent, non posse istam alteram etiam habere significationem, quae ita tantummodo esset consentanea, si *tum* etiam usurpatum esset pro particula copulativa. Sed nihil minus, atque ut nemo usus est *tum* pro *et,* sic non potuit dici *tum — tum,* si significandum erat *et — et.* Nec ulla prorsus invenietur analogia; nam neque particulae *modo — modo* neque *nunc — nunc* ullo loco sunt usurpatae pro *et — et.* Mirum esset autem, si idem, quod caderet in *tum — tum,* non valeret de cognatis illis particulis *modo — modo, nunc — nunc.* Iam vero optimi quique codices praeclare confirmant id, quod dixi, non esse Latinum *tum — tum* pro *et — et;* nam omnibus locis, quibus ab editoribus tale non Latinum *tum — tum* est receptum, optimi libri, si qui sunt, praebent *cum — tum.* Sic in epistolis nullum inveni locum, quo praestantissimus codex Mediceus habeat istud *tum — tum,* sed semper praebet rectissimum illud *cum — tum,* quamquam in deterioribus libris, quos dolendum est sequi solitos plerosque editores, legi dicitur *tum — tum.* Sic nullo fere loco optimus codex Erfurtensis confirmat tale *tum — tum,* etiamsi saepe, ut nostro loco, deteriores codices omnes consentire dicantur in prava scriptura. Sic supra 3, 5 antiquissimus Ambrosianus praebet *cum — tum,* quamquam in tribus codicibus Oxoniensibus legitur *tum — tum,* in Erfurtensi autem codice plane omissum est *cum,* sicut omissum est in eodem codice *cum de Off.* I, 20, 69. Sic in libris de republica, quorum codex est antiquissimus,

non invenitur tale *tum* — *tum*, semper *cum* — *tum*, atque sic porro. Sed cum propositum sit, et omnis afferre locos, quibus vel varia in hac re est lectio codicum, vel etiam sine codicibus peccarunt editores, et commemorare nominatim eos libros, in quibus nullus codex praebet soloecum istud *tum* — *tum* pro *cum* — *tum*, cumque ex hac collatione intelligi possit, quam recte negaverim, esse Latinum ista significatione *tum* — *tum*, non erit opus, omnis iam hoc loco percensere codices optimos, qui meam confirmant rationem. Videbis autem, ut omnium saepissime corruptum est *cum* — *tum* in *tum* — *tum*, sic non raro *tum* — *tum* (*bald* — *bald*) confusum esse cum *cum* — *tum*. — In libris *d. Nat. D.* etsi saepenumero legitur *cum* — *tum*, tamen nullo loco pro varia lectione enotatum est istud *tum* — *tum*. — *d. Div.* bis vidi confusa esse *cum* — *tum* et *tum* — *tum*, semel I, 6, 12, ubi verissimum est *tum* — *tum* (*bald* — *bald*), sicut ex optimis codicibus recte edidit Orellius; tum II, 54, 111 pessimum est *tum* — *tum*, quod idem editor ex uno codice commendavit. — *d. Senect.* 2, 4 *cum* — *tum* optimi codices Erfurtensis et Trevirensis, atque cum his Klotzius; pessime autem Orellius *tum* — *tum*. 15, 53 *cum* — *tum* idem illi codices verissime, atque poenitet iam Klotzium, quicum communicavi meam rationem, cum Orellio recepisse istud non Latinum *tum* — *tum*. 19, 68 *cum* — *tum* hoc quoque loco duo illi codices optimi, atque sic Klotzius; male autem Orellius istud *tum* — *tum*. Quod autem his tribus locis praestantissimus liber Regius habere dicitur istud *tum* — *tum*, id quod colligas ex Orelli annotationibus, contra illos optimos libros, quibuscum fere solet aliis locis facere, videndum est, ne post novam libri collationem is quoque habere intelligatur *cum* — *tum*, praesertim cum idem codex in Tusculanis semper habeat verissimum illud *cum* — *tum*. Nam litterae *c* et *t* in antiquis codicibus admodum sunt similes, ut difficile internoscantur. — *d. Amic.* 1, 4 et 13, 48 rectissime *cum* — *tum* in optimis codicibus, ut Erfurtensi; perperam *tum* — *tum* in aliis. Verum 21, 76 rectissime habent optimi codices *tum* — *tum*; deteriores, atque cum his perperam etiam Beierus, *cum* — *tum*. — *d. Off.* I, 5, 17 et 8, 25 et 20, 66 (pessime Orellius *tum* — *tum*) et 69 bis (semel Orellius istud *tum* — *tum*) et 34, 123 et II, 8, 31 et 10, 37 et 12, 42 et 14, 50 et 16, 57 et 18, 63 et 64 et 19, 65 his locis omnibus recte optimi codices praebent *cum* — *tum*, deteriores istud *tum* — *tum*. Rectissime autem II, 19, 65 ad unum omnes libri tuentur *tum* — *tum*,

atque pessime Suffridus Petrus *cum* — *tum*. — In libris *Academicorum* de codicum auctoritate non licet certo indicare, quamquam, quid quoque loco sit praeferendum, non potest esse dubium. Sic II, 2, 4 et 6, 16 *cum* — *tum* verissime iam Victorius, qui plerumque cum melioribus facit codicibus, *tum* — *tum* utroque loco perperam Bazalerius. Contra 10, 30 *tum* — *tum* rectissime idem Victorius, sicut plerique editores, atque perperam ipse quoque Goerenzius *cum* — *tum*. Sic 17, 53 *tum* — *tum* verissimum est, quamquam etiam Victorius, sed male, habere dicitur *cum* — *tum*. 20, 65 *cum* — *tum* rectissime editores omnes cum melioribus, ut videtur, codicibus, quamquam ex multis codicibus enotatum est *tum* — *tum*, quod tamen non fere cadit in hunc locum. 41, 127 *cum* — *tum* unus Victorius rectissime, ceteri soloece *tum* — *tum*. Contra 43, 134 unum est verissimum *tum* — *tum*, sicut Victorius, alii. Cf. *Acad.* I, 4, 16 *Quae cum diceret constanter et in ea sententia permaneret, omnis eius oratio tum in virtute laudanda et in hominibus omnibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur.* Quis credat, Lambinum ita offensum esse in hoc loco facillimo, ut pro *tum* — *et* scriberet *cum* — *tum*, neque vidisse hominem doctissimum, respondere hoc loco illud *tum* proximo illi *cum?* Nos diceremus *so oft als* — *dann.* Magis etiam est miranda eorum stultitia, qui, decepti sine dubio errore isto Lambini, contenderunt, hoc loco *tum* — *et* per anacoluthum nescio quem dictum esse pro *tum* — *tum* vel potius pro *cum* — *tum*. Vehementer lapsus est igitur nuperrime Handius in *Turs.* II, p. 537, qui et ipse opinatur, Ciceronem hoc loco dixisse *tum* — *et* pro *tum* — *tum*, vel potius pro *cum* — *tum*. De eodem errore vide *ad Fam.* XV, 11, 1 et infra, ubi de is loquar locis, quibus *cum* videtur esse omissum, ad *d. Off.* I, 21, 71. — *d. Fin.* I, 10, 34 *cum* — *tum* suo iure Victorius, alii, cum melioribus, ut videtur, codicibus, quamquam in multis legi dicitur pravum istud *tum* — *tum*. Contra 14, 47 rectissime codices omnes *tum* — *tum*, atque temere unus Lambinus *cum* — *tum*. Sic 16, 50 non debebat a Goerenzio, Schuetzio, Orellio cum verissima plurimorum atque optimorum codicum commutari lectione *tum* — *tum*, quacum melius multo cohaeret illud *semper*, paucorum librorum scriptura *cum* — *tum*. At paullo post 51 verissima est omnium codicum lectio *cum* — *tum* pro pravo isto *tum* — *tum*, quod temere praetulerunt Lambinus atque Schuetzius, ut solet hic. II, 18, 58 Hic unus est ex paucissimis illis locis, quibus in omnibus

codicibus legi dicitur (de qua tamen re vehementer dubito) pessimum illud *tum* — *tum*, quod sic Latinum esse meo iure videor negare. Utique scribendum est *cum* — *tum*, nisi forte qui existimaverit, prius istud *tum* ortum esse ex geminatione proximarum litterarum *ium*. Atque de is quidem locis, quibus illud *cum* videtur omissum esse, infra disputabitur. 35, 119 *cum* — *tum* recte plerique codices, pessime autem Goerenzius, etiam Victorius, cum aliquot libris *tum* — *tum*. III, 2, 6 *cum* — *tum* ex codicibus suis, ut solet, Gruterus atque secuti editores omnes rectissime pro non Latino *tum* — *tum*; et 8 *cum* — *tum* iam Victorius; alii habent pravum istud *tum* — *tum*. — In prioribus quatuor libris *Tusc.* ut saepenumero legitur *cum* — *tum*, ita nullum inveni locum, quo ex codice aliquo enotatum sit istud *tum* — *tum*, quamquam quidam editores interdum de suo ingenio scripserunt *tum* — *tum*, ut I, 12, 27 Schuetzius; 16, 38 ipse quoque Wolfius, sicut idem IV, 1, 2. In quinto tamen libro etiam ex codicibus, nunquam quidem ex praestantissimo Regio, enotatum est istud *tum* — *tum*, ut V, 10, 28 quo loco verissimum est *cum* — *tum*, quod temere repudiarunt plerique editores. Atque Orellius quidem, cum sibi non esset enotatum, utrum Regius haberet *cum* — *tum*, an *tum* — *tum*, sumpsit ille quidem satis male, potius scriptum esse in illo soloece *tum* — *tum* quam *cum* — *tum*; sed non est dubitandum, quin Regius, ut ceteris locis, sic hoc quoque habeat *cum* — *tum*. Verum me vidisse, iam docebit Moserus. Venio nunc ad locum 14, 41, ubi etiamsi omnes fere codices, praestantissimus etiam Regius, praebeant *cum* — *tum*, tamen ex uno codice Oxoniensi primus Wolfius atque post hunc Schuetzius et Orellius, probante Goerenzio ad *d. Leg.* p. 170, receperunt soloecum istud *tum* — *tum*. Leguntur autem ibi haec *Quae est enim alia fortitudo, nisi animi affectio cum in adeundo periculo et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu.* Istius scilicet hominum doctissimorum erroris causa haec est, quod nescio quid discriminis excogitarunt inter particulas *tum* — *tum* et *cum* — *tum*, ita quidem, ut putarent, *tum* — *tum* usurpatum esse a Latinis simili notione, atque inest in particulis *et* — *et*, tum, si aequa esset ratio in utroque membro, hoc est, si posterius membrum nec gravius quid, quod magis urgeretur, contineret quam prius, nec haec esset ratio, ut ab eo, quod esset generale, descenderetur ad id, quod speciale esset: contra ubi esset ista ratio, ibi usurpatum esse *cum* — *tum*, in qua particularum coniunctione semper a ge-

nerali ad speciale descenderetur. Haec igitur vere vulgo disputari opinatus etiam Wolfius facile potuit offendi hoc loco in particulis *cum* — *tum*, propterea quod, si et teneret istas grammaticorum regulas, nec ipse haberet pretium operae, in rem magis inquirere, statim debebat intelligere, hoc loco si legeretur *cum* — *tum*, repugnare eum vulgari regulae, quippe cum utrumque aequa ratione fortis sit viri et patientem esse in adeundo periculo et procul esse ab omni metu. Atque eodem modo videntur esse ratiocinati Goerenzius, Schuetzius, Orellius. At enim primum quin de tali fere significatione particularum *tum* — *tum*, qualem habent *et* — *et*, ne cogitaverint quidem Latini, nemo, opinor, dubitabit, qui legerit hanc meam annotationem, et, quod ad alteram illam attinet opinionem, *cum* — *tum* ibi tantum usurpatum esse, ubi a minore ad maius aut a generali descenderetur ad speciale, nihil unquam excogitatum est falsius atque ineptius. Etenim quod proprie particulae *cum* — *tum* indicant, nihil scilicet aliud nisi quandam temporis consecutionem, ut post unam rem factam, vel cum una re facta altera facta esse significetur, hanc notionem omnibus debent locis retinere particulae *cum* — *tum*. Sed quoniam coniunctio *cum* et potest esse temporalis et condicionalis et causalis, his tribus autem notionibus respondet *tum*, aliis locis *cum* — *tum* explicabitur de tempore (de quibus locis hic non est quod dicamus), aliis de condicione, aliis de causa. Quare si utrumque membrum suum habet verbum, aut etiam si prius modo, verbi, quod pendet a coniunctione *cum*, tum debet poni indicativus, tum coniunctivus, secundum notionem, quam voles urgere. Ut autem nostro sermone nec si dicemus exempli causa *wenn du kommen wirst, werde ich dich loben*, nec si *da du gekommen bist, lobe ich dich*, posteriora membra ullo pacto dici possunt continere id, quod est speciale, priora autem generale quiddam, sic ineptissime homines docti, neque aliter usurpatum esse Latinorum *cum* — *tum*, et per se *cum* — *tum* id posse significare, opinati sunt. Constat quidem, omnium saepissime eos locos, quibus legitur illud *cum* — *tum*, ita esse comparatos, ut id, quod est generale, priore membro, speciale autem posteriore contineatur, verumtamen nequaquam potes dicere, in ipso *cum* — *tum* eam inesse significationem. Nam si dico *cum multa*, *tum hoc*, neque est generale *cum* neque speciale *tum*, sed illa notio inest in vocabulo *multa*, haec in *hoc*. Atqui non pauci inveniuntur loci, quibus speciale priore, generale posteriore continetur membro, sed certis quibusdam condicionibus, ut *d. Orat.* I,

48, 211 et *Brut.* 49, 183, de quibus locis infra dicetur. Nec sunt rari ei loci, quibus duo membra, quae per *cum* — *tum* coniunguntur, prorsus sunt paria, ut posterius non magis urgeatur quam prius. Ita prorsus *d. Senect.* 15, 53 *qua quid potest esse cum fructu laetius, tum aspectu pulchrius*, de quo loco iam supra diximus. Sic eo ipso loco, de quo digressa est haec disputatio, *Tusc.* V, 14, 41 *Quae est enim alia fortitudo, nisi animi affectio cum in adeundo periculo et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu.* Nam posterius membrum non magis urgendum est quam prius, sed prorsus aequa utriusque membri est ratio. Tale *cum* — *tum* nos possumus vertere *zuerst* — *dann.* Atque haec ratio plurimis aliis est locis, quibus homines docti temere receperunt istud *tum* — *tum.* Restant autem ex quinto libro *Tusculanarum* plures alii loci, qui contra criticorum iniurias sunt defendendi, ut 24, 68, quo loco quamquam praestantissimus Regius illud verissimum habet *cum* — *tum*, tamen editores ad unum omnes, propter eandem scilicet causam, quae proximo loco Wolfium deceperat, pessimum istud receperunt *tum* — *tum.* 25, 72 *cum* — *tum* Regius et ceteri codices omnes praeter unum Oxoniensem, qui habet istud *tum* — *tum*, et paullo post *cum* — *tum* idem Regius cum plerisque aliis codicibus; Wolfius, Schuetzius, Orellius perperam cum duobus codicibus deterioris notae *tum* — *tum.* Denique 34, 99 idem illi tres editores pessime cum uno codice *tum* — *tum* contra Regium ceterosque codices. — In libris *d. Rep.* codex ille palimpsestus antiquissimus, e quo restituti fere sunt isti libri, nullo loco, id quod poteras praesagire, habet soloecum istud *tum* — *tum*, quamquam saepenumero ibi legitur illud *cum* — *tum*, quos locos cum quis posset desiderare, hic sint allati I, 10, 15; 29, 45; 34, 51; II, 1, 1; 6, 11 bis; III, 2, 3; 3, 6; IV, 1, 5; VI, 15, 15. Rectissime autem scriptum est *tum* — *tum* II, 1, 2; III, 14, 23; 35, 47. — De libris *d. Leg.* eadem mihi sunt querenda, quae de libris *Academicorum;* sed in his quoque antiquae editiones meliores, ut Victori et Stephani, plerumque veram servarunt lectionem, ut I, 11, 31 *cum* — *tum* rectissime Victorius, Stephanus, Lambinus, Davisius; soloecum istud *tum* — *tum* habent Goerenzius, Schuetzius, Moserus, Orellius. II, 11, 27 et 18, 45 *cum* — *tum* ut antiquae fere editiones, sic etiam plerique recentiores editores rectissime. 17, 43 *cum* — *tum* rectissime Victorius, Stephanus cum plerisque codicibus pro soloeco *tum* — *tum*, quod cum Goerenzio, eodem errore decepto, quo Wolfius

Tusc. V, 14, 41, receperunt novissimi editores. — *d. Inv.* I, 1, 1 *cum* — *tum* optimi codices Turicensis et Erfurtensis, alii; istud *tum* — *tum* invenitur in paucioribus ac deterioribus codicibus. Contra 52, 99 verissimum est *tum* — *tum*, ut suo iure Orellius cum Turicensi edidit. — *d. Orat.* I, 1, 2 *cum* — *tum* plerique codices, etiam Erfurtensis; pessime cum uno codice Lambinus, Schuetzius, Muellerus *tum* — *tum*. 37, 170 *cum* — *tum* rectissime Orellius, atque id confirmatur fere lectione codicis Erfurtensis *quoniam* pro *cum*. Nam non raro confusa esse a librario illius libri *quoniam* et *cum*, docuit Wunderus p. XIX. Etiam Erfurtensis autem cum plerisque codicibus omisit *tum*, quod mendum erat facillimum propter proximum vocabulum *ornatum*. 48, 211 *praedicaremque P. Lentulum, principem illum, et Ti. Gracchum, patrem, et Q. Metellum et P. Africanum et C. Laelium et innumerabilis alios cum ex nostra civitate, tum ex ceteris*. Sic verissime plerique codices pro pravo isto *tum* — *tum*, quod Schuetzius ex uno recepit codice. Quod autem dixit Cicero *cum ex nostra civitate, tum ex ceteris* ac non, quod quis exspectaverit, *cum ex ceteris civitatibus, tum ex nostra*, id rectissimo fecit iudicio, quia modo ex sua tantum civitate attulerat exempla. Vides igitur, posse ac debere tali condicione priore membro (*cum*) contineri id, quod est speciale, id quod grammatici adhuc soliti sunt negare. II, 10, 39 *cum* — *tum* verissime plerique codices, etiam Erfurtensis, quamquam is hoc quoque loco *quoniam* — *tum*. Recentiores editores omnes soloece *tum* — *tum*. 23, 96 *Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, cum exercitationibus crebris atque magnis, tum scribendo maxime persequatur*. Sic ego de coniectura mea; nam hic alter est locus, quo codices omnes (Erfurtensis quidem codex in hac operis parte non exstat; is profecto praeberet *cum* — *tum*) consentire dicuntur in prava lectione *tum* — *tum*; pro qua utique scribendum est *cum* — *tum*. Ne quis tamen altius latere putet corruptelam, coniiciatque pro *tum* — *tum maxime* verbi causa *ut* — *tum maxime*, sicut plane in *Brut.* 93, 320, de quo loco infra dicam. 43, 182 *cum* — *tum* codices omnes praeter unum, cum quo Schuetzius et Muellerus istud *tum* — *tum*. 67, 270 codices ad unum omnes *cum* — *tum*, sed Schuetzius de prava coniectura *tum* — *tum*. 88, 361 *cum* — *tum* rectissime codices fere omnes, Ernestius autem perperam *tum* — *tum*. III, 49, 190 *cum* — *tum* suo iure codices omnes, at Schuetzius et Muellerus de prava coniectura *tum* — *tum*. — *Brut.* 14, 56 contra co-

dices omnis pessime Schuetzius et Ellendtius *tum* — *tum*. 19, 77 *cum* — *tum* rectissime codices plerique; idem tamen duo editores hic quoque cum paucis libris manu scriptis istud *tum* — *tum*. 23, 90 *cum* — *tum* codices omnes praeter unum. Cf. 49, 183 *Ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio, tum omnium facile primas tulerunt.* Sic *cum* — *tum* optimus codex Guelferbytanus B, ut paullo infra codices omnes. Miranda est autem criticorum socordia, qui quidem sibi potuerint persuadere, veram esse ceterorum codicum lectionem ineptissimam *cum* — *cum*, cuius lectionis absurditatem si vellem pluribus illustrare, viderer equidem de iudicio hominum doctorum dubitare. Quis vero non videat, unde irrepserit istud *cum* — *cum* in plerosque libros? Scilicet grammaticus aliquis, qui offensus erat in eo, quod hoc loco speciale priore, generale posteriore positum erat membro, existimandus est post *tum omnium* glossema addidisse hoc *cum omnium*, ut significaret, exspectandum fuisse potius *cum omnium iudicio, tum meo.* Librarii autem, qui illud glossema parum intellexerant ac pro lectione codicum habuerant, pro *tum omnium* istud difficilius quidem certe receperunt *cum omnium*, quod tamen ne Latinum quidem est. Iam vero rectissime scripsit Cicero *cum meo iudicio, tum omnium*, quippe cum hanc loci conformationem utique postularet loci sententia. Ipse enim loquitur Cicero, propterea ipsius iudicium prius debebat commemorari quam ceterorum. 53, 198 *cum* — *tum* codices ad unum omnes, Schuetzius autem suum *tum* — *tum*. 55, 203 *cum* — *tum* codices omnes praeter Guelferbytanum A, quocum Schuetzius pessime *tum* — *tum*. 68, 240 *cum* — *tum* codices omnes, at Schuetzius et Ellendtius *tum* — *tum*. 77, 267 Schuetzius suum *tum* — *tum* contra codices omnis. Cf. 93, 320 *Longius autem procedens ut in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhaerescens sui dissimilior videbatur fieri quotidie.* Rectissime Orellius *ut* — *tum maxime* cum duobus codicibus Guelferbytanis et cum antiqua editione Norimbergensi pro prava lectione plurimorum editorum *et* — *tum maxime*. Cf. enim Handium *Turs.* II, p. 538. Satis temere autem Schuetzius *cum* — *tum maxime*. — *Orat.* 3, 11 *cum* — *tum* recte codices fere omnes; Schuetzius cum uno codice istud *tum* — *tum*. 33, 117 *cum* — *tum* praeter Guelferbytanum C codices omnes rectissime. 44, 149 et 52, 174 et 60, 202 contra codices omnis Schuetzius soloecum istud *tum* — *tum*. Contra 63, 212 verissima est omnium codicum lectio *tum* — *tum*, ac temere Lambinus

cum — *tum*. — *Top.* 20, 74 *cum* — *tum* codices plerique; pessime Boëthius et Schuetzius *tum* — *tum*. 22, 86 *cum* — *tum* codices omnes; Schuetzius, ut solet, suum *tum* — *tum*. *Part. Orat.* 25, 88 Schuetzius contra codices omnis soloece *tum* — *tum*. — In oratione *p. Quint.* non inveni *cum* — *tum*. — *p. Rosc. Am.* saepe quidem *cum* — *tum*, nullo tamen loco pro varia lectione istud *tum* — *tum*. — *in Caec.* locis omnibus omnes codices consentiunt in *cum* — *tum*. — Venio nunc ad corruptissimas illas *Verrinas*, in quibus non raro in omnibus adhuc editionibus invenitur istud non Latinum *tum* — *tum*, quamquam Stephanus et Lambinus, qui in his orationibus cum melioribus solent facere codicibus, plerumque verissimum illud praebent *cum* — *tum*. Atque etiam doctissimus Zumptius, cui tam multa debent hi libri, si habuisset exploratum, soloecum pro *et* — *et* esse *tum* — *tum*, quod multis locis remansit in eius editione, cum optimis illis codicibus, quos contulit, omnibus profecto locis ac non paucis tantummodo expulisset istud *tum* — *tum*. At enim ipse quoque Zumptius in locis illis percensendis de discrimine isto nescio quo cogitavit, quod ponere adhuc soliti sunt grammatici. Sed commentarius Zumpti iam probabit, vere me sumpsisse, omnibus locis, quos sum allaturus, codices meliores praebere illud *cum* — *tum*. Sic *in Verr. A.* I, 10, 30 *cum* — *tum* Stephanus, Lambinus, Zumptius cum optimis codicibus pro soloeco *tum* — *tum*, quod ceteri habent editores. *A.* II, *l.* I, 15, 41 cum optimis sine dubio codicibus Stephanus et Zumptius *cum* — *tum*; ceteri omnes praetulerunt soloecum istud *tum* — *tum*. 24, 63 *cum* — *tum* cum optimis codicibus Stephanus, Lambinus, Graevius; ceteri, etiam Zumptius, soloece *tum* — *tum*. Scilicet propterea non est obsecutus Zumptius hoc loco, ut aliis, optimis codicibus, quod secundum istam grammaticorum regulam ob nimis aequam utriusque membri rationem praeferendum erat *tum* — *tum*, de cuius rei absurditate supra iam diximus. 26, 67 *cum* — *tum* verissime cum optimis codicibus iam Stephanus et Lambinus; ceteri editores, etiam Zumptius, istud *tum* — *tum*. 31, 80 *cum* — *tum* suo iure Stephanus cum optimis codicibus; ceteri omnes, etiam Zumptius, soloece *tum* — *tum*. 34, 86 *cum* — *tum* soli Stephanus et Lambinus cum optimis codicibus; ceteri editores, etiam Zumptius, pessime *tum* — *tum*. 58, 151 perperam omnes editores, etiam Zumptius, *tum* — *tum*; nam nequaquam cadit in hunc locum notio *bald* — *bald*. Sine dubio in optimis Zumpti codicibus legitur *cum* — *tum*. *A.* II, *l.*

II, 20, 49 et 43, 107 utroque loco *cum* — *tum* unus Zumptius verissime cum optimis codicibus; ceteri omnes soloece *tum* — *tum*. Atque his quidem duobus locis secutus est Zumptius optimos suos libros propterea, quod posterioribus membris aut maius aliquid aut specialius continetur quam prioribus. Dictum est enim uno loco *cum tuae*, *tum multo etiam magis suae famae*, altero *cum semper*, *tum in his rebus et temporibus*. 45, 111 *cum* — *tum* cum optimis codicibus Lambinus et Zumptius verissime, ceteri istud *tum* — *tum*. 70, 172 *cum* — *tum* Zumptius, alii, cum optimis codicibus; perperam commendat Orellius istud *tum* — *tum*. *A.* II, *l.* III, 76, 178 unus Zumptius *cum* — *tum* cum optimis suis codicibus; ceteri pravum istud *tum* — *tum*. 81, 188 *cum* — *tum* cum optimis codicibus Stephanus, Lambinus, secuti omnes, etiam Zumptius; pauci istud *tum* — *tum*. *A.* II, *l.* IV, 4, 7 Editores omnes, etiam Zumptius, soloece *tum* — *tum*. Sine dubio autem optimi Zumpti codices *cum* — *tum*, quod repudiavit vir doctissimus propter regulam istam, quam sibi finxit. 33, 72 *cum* — *tum*, ut habent optimi codices, suo iure cum Stephano editores omnes, etiam Zumptius. 40, 86 *cum* — *tum* soli Stephanus, Lambinus, Zumptius cum codicibus optimis; ceteri istud *tum* — *tum*. 52, 117 *cum* — *tum* cum optimis ac plerisque codicibus Stephanus, Lambinus, secuti editores omnes, etiam Zumptius, praeter Schuetzium, qui soloecum istud *tum* — *tum*. 66, 147 *cum* — *tum* verissime cum optimis codicibus Stephanus et Lambinus; ceteri, etiam Zumptius, pessime *tum* — *tum*. *A.* II, *l.* V, 32, 83 *cum* — *tum* cum optimis codicibus Regio, Vaticano, aliis suo iure Zumptius et Orellius; ceteri omnes soloece *tum* — *tum*. 33, 87 cum uno codice deteriore Schuetzius suum *tum* — *tum*; ceteri omnes *cum* — *tum*. — In oratione *p. M. Tullio* semel §. 8 *cum* — *tum* rectissime, nullo loco, id quod poteras exspectare, soloecum istud *tum* — *tum*. — *p. Font.* 14, 31 bis deinceps *cum* — *tum* rectissime; nullus codex *tum* — *tum*. — *p. Caec.* non raro *cum* — *tum*, sed nullo loco varia ista lectio *tum* — *tum*. — *p. L. Man.* 11, 31 *Testes nunc vero iam omnes orae atque omnes exterae gentes ac nationes, denique maria omnia cum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus.* Scripsi primus ego cum optimo codice Erfurtensi *cum* — *tum* pro soloeco *tum* — *tum*, quod cum ceteris deterioribus codicibus receperunt adhuc editores omnes. — *p. Cluent.* 42, 117 *cum* — *tum* suo iure codices omnes, ac soloece de Goerenzi coniectura ad *Acad.* II, p. 122 Schue-

tzius *tum* — *tum*. Haec autem annotavit Orellius: „Sed quomodo singulis in locis de talium particularum et vi et sono iudicarit Tullius, nos exputare iam non possumus." (Videor tamen exputasse) „Omnis igitur res pendet e Codd. et Edd. vett." (Nec ego repugno) „Nonne vero hic quoque maior vis inesse potest et debet in ceteris officiis et amicitiis Tullii quam in una causa Cluentiana?" (Non sane perspexit Orellius, quibus modis sint usurpatae particulae *cum* — *tum*. Pertinet autem hic locus ad eorum numerum, de quibus dixi ad locum *d. Orat.* I, 48, 211) Paullo inferius 118 *cum* — *tum* rectissime Orellius cum Iuntina et Lambino; ceteri editores omittunt *cum*, quod saepe a librariis vidi esse omissum. De codicibus non videtur satis constare. 50, 139 *Recitavit ex oratione nescio qua Attius, quam meam esse dicebat, cohortationem quandam iudicum ad honeste iudicandum et commemorationem cum illorum iudiciorum, quae probata non essent, tum illius ipsius iudici Iuniani.* De coniectura scripsi *cum* — *tum*; nam codices omnes (etiamne Palimpsestus Taurinensis, vehementer dubito) dicuntur habere istud *tum* — *tum*. 69, 197 contra codices omnis Schuetzius istud *cum* — *tum*. — *d. L. Agr.* I, 3, 9 *quorum cum adventus graves, cum fasces formidolosi, tum vero iudicium ac potestas erit non ferenda.* Sic rectissime codices omnes, etiam Erfurtensis. Saepe enim, nec id mirum, prioris membri duae sunt partes, ut *p. Rab. Perd.* 1, 2 *Nam me cum amicitiae vetustas, cum dignitas hominis, cum ratio humanitatis, tum meae vitae perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata; at vero, ut id studiosissime facerem, salus reipublicae coegit.* *p. Mur.* 18, 38 *Voluntas militum? quae cum per se valet multitudine, cum apud suos gratia, tum vero in consule declarando multum etiam apud universum populum Romanum auctoritatis habet.* *p. Balb.* 12, 29 *Nam cum omnibus civitatibus via sit in nostram, cumque nostris civibus pateat ad ceteras iter civitates, tum vero — videtur.* Quibus locis omnibus fere mire lapsi sunt in critica exercenda editores plerique; satis tamen habui Ciceroni veras restituere lectiones, quippe cum errores nimis sint manifesti. At enim Orellius ad locum illum *d. L. Agr.* haec annotavit: „Nota haec *quum* — *quum* — *tum*, in quibus tamen omnes consentiunt, neque vero aliter dicere poterat orator, id quod statim senties, alteri *quum* si substituas vel *tum* vel *et*. Fortasse ter *tum*." Perperam. II, 29, 81 et 32, 87 contra omnis codices Schuetzius *tum* — *tum*. — In *Catilinariis* etsi non raro legitur *cum* — *tum*,

tamen nullo loco varia est lectio *tum — tum.* — *p. Mur.* 18, 38 *cum — tum* in codicibus omnibus praeterquam in duobus, quibuscum Iuntina et Schuetzius istud *tum — tum.* 24, 49 et 40, 86 contra codices Schuetzius et Matthiaeus istud *tum — tum.* — *p. Syll.* 1, 1 *cum — tum* codices omnes rectissime praeter unum. 23, 66 *Itaque P. Sylla, hoc importunissimo cum honoris, tum etiam calamitatis socio atque comite, secundas fortunas amittere coactus est.* Scripsi *cum — tum* de coniectura; nam codices omnes dicuntur habere soloecum istud *tum — tum,* sicut in eadem oratione 28, 78, ubi contra codices omnis restituenda est Ciceroni vera lectio haec *tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque cum animi tum corporis.* — *p. Planc.* 18, 46 *cum — tum* ut optimi codices Bavaricus et Erfurtensis, sic ceteri plerique. Pessime autem Iuntina editio et Schuetzius istud *tum — tum.* Contra 38, 91 *sin autem aliquando sine ullo reipublicae detrimento respicio etiam salutem tum meam, tum meorum* rectissime in codicibus omnibus scriptum est *tum — tum,* ut iam docet illud *aliquando.* 41, 99 contra codices omnis Schuetzius suum *tum — tum.* 42, 103 *Nolite animum meum debilitare cum luctu, tum etiam metu commutatae vestrae voluntatis erga me.* Verissime *cum — tum* tres codices apud Wunderum; istud soloecum *tum — tum* habere dicuntur etiam Erfurtensis et Bavaricus, quod tamen vix crediderim. — *p. Sest.* 39, 85 Schuetzius sine codice istud *tum — tum,* sicut *in Vat.* 1, 3. — In oratione *p. Aem. Scau.* semel 2, 6 *cum — tum,* nullo loco, nec mirum, soloecum istud *tum — tum.* — In *Coeliana* saepe quidem legi *cum — tum,* nullo tamen loco varia est lectio *tum — tum;* atque idem valet de oratione *d. Prov. Cons.* — *p. Balb.* 3, 6 et 5, 13 Schuetzius temere, ut solet, *tum — tum* pro *cum — tum,* quod tuentur codices omnes. De loco 12, 29 cf. ad *d. L. Agr.* I, 3, 9, ubi similes sunt allati loci. 22, 50 *homo cum gravitate et prudentia praestans, tum vel nimium parcus in largienda civitate.* Rectissime Lambinus et Orellius cum uno ex praestantissimis codicibus Stephani *cum — tum.* Atqui, teste Wundero, hoc loco Erfurtensis codex habet soloecum istud *tum — tum,* quamquam ex eodem codice a Graevio erat enotatum *cum — tum.* Quare, cum hic unus alterve esset locus, quo in codice Erfurtensi legeretur tale *tum — tum,* vereor, ne lapsus sit hoc loco diligentissimus Wunderus. — *in Pis.* 6, 13 temere Schuetzius suum *tum — tum* contra codices omnis. — *p. Mil.* 1, 3 *cum — tum* rectissime co-

dices optimi Bavaricus et Erfurtensis; pessime commendat Orellius ex paucis deterioribus istud *tum* — *tum*. — *p. Rab. Post.* 2, 4 codices omnes *cum* — *tum*, Schuetzius tamen suum *tum* — *tum*. — In *Ligariana* semel 4, 10 *cum* — *tum*, nullo loco istud non Latinum *tum* — *tum*. — *p. Deiot.* 2, 7 *tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid mihi nunc animi sit, ad te ipsum referre, quo facilius cum aequitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam* et 9, 26 *Haec in illo est ab ineunte aetate cum a cuncta Asia, tum a magistratibus legatisque nostris, tum ab equitibus Romanis, qui in Asia negotiati sunt, perspecta et cognita* et 15, 41 *Corpora sua pro salute regum suorum hi legati tibi regii tradunt cum regum amicissimi, tum tibi etiam, ut spero, probati*, his tribus locis scripsi primus ego cum Erfurtensi *cum* — *tum*; nam cum ceteris codicibus deterioribus editores omnes ter soloece *tum* — *tum*. — In *Philippicis* quamquam saepissime legitur *cum* — *tum*, tamen nullo loco pro varia lectione codicis enotatum est istud *tum* — *tum*. Schuetzius quidem et Wernsdorfius aliquoties soloecum istud *tum* — *tum* de coniectura scripserunt, ut XIII, 1, 1; 4, 8; 17, 34; XIV, 7, 17. — Iam vero neque in oratione *p. Redit.*, neque *ad Quir.*, neque *p. Dom.*, neque *d. Harusp.*, neque *p. Marc.*, quas orationes Ciceroni vulgo abiudicant, inveni soloecum istud *tum* — *tum*, ne pro varia quidem lectione, sed semper verissimum illud *cum* — *tum*. — In epistolis et *ad familiaris* et *ad Atticum* et *ad Quintum fratrem* praestantissimus codex Mediceus nullo loco, aut, si forte, uno, praebet istud non Latinum *tum* — *tum*, quamquam id saepe ex deterioribus codicibus, non raro etiam de coniectura, a multis editoribus est receptum, ut *ad Fam.* I, 2, 1; 9, 8 et 21 et 22. (Paullo post eadem paragrapho, ut interdum, unus Mediceus *cum* — *tunc*, quod quia per se est ineptum, nullo loco potest probari. Cf. Goerenzium ad *d. Fin.* II, 11, 33 et Klotzium ad *d. Senect.* 19, 70) IV, 13, 2; VI, 6, 3; VII, 3, 1; 14, 2; IX, 4, 7. (Rectissime autem paullo post *tum* — *tum* Mediceus cum ceteris codicibus omnibus) 23 *ext.*; X, 1, 2; 12, 5; XI, 5, 3; 27, 1; XIII, 7, 5; 9, 1; 12, 2; 17, 1 et 3; 19, 1; 20 *init.* bis; 21, 1; 22, 1; 26, 2; 27, 4; 28, 2; 31, 2; 41, 1; 43, 1 (male omisit Mediceus *cum*); 61, 1; 63, 1 bis; 64, 1; 67, 1; 69, 1; 75, 1; XIV, 18, 1; XV, 4, 4 et 16; 6, 1; 8 *in.*; 11, 1 (*cum studiose, tum libenter.* Sic etiam Erfurtensis contra Mediceum, qui pessime *cum studiose ac liben-*

ter. Sed talia, ut difficiliora, multi solent probare. Vide ad *Acad.* I, 4, 16. Idem Erfurtensis, sicut praeter Mediceum codices omnes, paullo post 2 verissime *cum* — *tum,* atque vix crediderim, revera, ut quidem testatur Orellius, scriptum esse soloecum istud *tum* — *tum* in Mediceo. Certe unus esset locus, quo in illo codice praestantissimo legeretur tale *tum* — *tum*). 14, 3; XVI, 12, 6 (*cum* — *tum* etiam Erfurtensis, ut codices ceteri omnes praeter Mediceum, qui habet *quam* pro *cum*). — *ad Quint. Fr.* I, 3, 4; II, 15, 2 (*cum* — *tum* verissime Mediceus; miror autem Orellium, qui hoc loco soloece *tum* — *tum* contra Mediceum, quem recto iudicio alibi fere solet sequi). — *ad Att.* I, 13, 1; 16, 8; 17, 6; II, 1, 3; 9, 1; 22, 1 (*cum* — *tum* rectissime Mediceus, nec debebat commendare Orellius *tum* — *tum,* etiamsi aliquo modo posset ferri ea significatione, quam unam habet *tum* — *tum,* dico *bald* — *bald.* Sed ne tum quidem hoc loco melius esset *tum* — *tum,* quam verissimum Medicei *cum* — *tum*). III, 15, 3 et 6. (Cf. 22, 3 *Premor luctu, desiderio omnium eorum, qui mihi me cariores semper fuerunt.* Sic scribendum videtur pro leviter corrupta lectione Medicei *rerum, qui.* Orellius satis temere *cum meorum omnium, tum eorum, qui*) IV, 3, 1; V, 12, 3; VII, 1, 7; 15, 3; 23, 2. (Contra IX, 4, 3 rectissime Mediceus, ut ceteri codices, *tum* — *tum.* At 12, 1 *cum* — *tum* verissime Mediceus, nec debebat Orellius commendare soloecum illud *tum* — *tum*) X, 4, 3; 9, 3; 12, 6; XIII, 44, 2; XIV, 13 (B, 2); 16, 4; 17 (A, 7). (Contra ibidem paullo post verissime Mediceus *tum* — *tum,* pro quo Victorius temere *cum* — *tum*) XV, 7 *in.*; 9, 2. — In epistolis *ad Brut.* I, 5 *in.*; 12 *ext.*; 17 *ext.* (De coniectura scribo *cum tuorum omnium, tum Ciceronis;* nam codices videntur consentire omnes in soloeco *tum* — *tum*); 18 *ext.* bis. — *Fragm. F,* 14, 1 (p. 495) *cum* — *tum* optimus etiam codex Regius, alii soloece *tum* — *tum.*

In epistolis aequalium ad Ciceronem non raro quidem legi *cum* — *tum,* nullo tamen loco soloecum istud *tum* — *tum.* Nam verissimum est in epistola Caecinae *ad Ciceronem* apud Cic. *ad Fam.* VI, 7, 3 *tum* — *tum,* quod suo iure habet Mediceus. Plerique editores perperam *cum* — *tum.* Cf. epistolam Ciceronis fili *ad Tironem* apud Cic. *ad Fam.* XVI, 21, in qua una epistola iste quater usurpavit *cum* — *tum.* Nam etiam §. 3 scribo *nam cum audio illum libenter, tum etiam propriam eius suavitatem vehementer amplector,* omisso inepto glossemate *et,* quod legitur in Mediceo

post *cum*. Quod autem Orellius opinatur, omisso *cum* legendum esse potius *et* — *tum*, est prorsus inauditus talis anacoluthus. Vide ad *Brut.* 93, 320.

Apud Quintum Cic. *d. Pet.* 14, 55 *cum* — *tum* rectissime codices plerique, etiam Erfurtensis; pessime in paucis istud *tum* — *tum*.

Apud scriptorem *ad Herennium* non raro *cum* — *tum*, nullo loco soloecum istud *tum* — *tum*. Temere enim Schuetzius IV, 2, 2 istud *tum* — *tum*, cum codices omnes fere rectissimum illud habeant *cum* — *tum*. 5, 7 *cum* — *tum* rectissime codices omnes praeter Turicensem, quocum Schuetzius et Orellius istud *tum* — *tum*. Non potest enim hoc loco *tum* — *tum* significare *bald* — *bald*. 16, 24 verissime ipse quoque Turicensis *cum* — *tum*. Contra 42, 54 *tum* — *tum*, quod Turicensis etiam habet, rectissimum est pro prava pauciorum codicum lectione *cum* — *tum*. Pessime autem 49, 63 Schuetzius contra codices omnis *tum* — *tum*.

Apud Caesarem quamquam omnibus fere locis, qui sunt permulti, servatum est verissimum illud *cum* — *tum*, tamen semel inveni soloecum istud *tum* — *tum B. C.* 1, 50 *m.* pro quo utique scribendum est *cum* — *tum*. Melioresne codices mecum faciant, nescio, quamquam id est verisimillimum. Atque hic quidem scriptor omnino abstinuit particulis *tum* — *tum*, etiam ea significatione, qua poterant usurpari. Abstinuit etiam particulis *nunc* — *nunc*, *modo* — *modo*.

Cornelius Nepos non raro usurpavit *cum* — *tum*, atque pro soloeco *tum* — *tum*, quod deteriores codices aliquot locis praebent, in melioribus verissimum illud legi solet *cum* — *tum*, ut II, 2, 3 et V, 2, 1. Uno tamen loco codices omnes, ut videtur, soloecum illud habent *tum* — *tum* in *Praef.* 8. Scribendum est autem *cum* — *tum*.

Apud Sallustium vera lectio *cum* — *tum* servata est locis omnibus, nec ullo inveni istud *tum* — *tum*.

Livi codices omnes cum fluxerint ex uno corruptissimo, non debet esse mirum, quod satis multis locis, plus scilicet viginti, in codicibus omnibus legi dicitur istud non Latinum *tum* — *tum*. Eo minus autem dubitabis illis locis mecum pro tali *tum* — *tum* scribere *cum* — *tum*, quod Livius, ut Caesar, ne tum quidem ullo loco usus est istis particulis, ubi significandum erat *bald* — *bald*. Sed ad id exprimendum Livius aut dixit *nunc* — *nunc*, idque omnium saepissime, aut etiam *modo* — *modo*. Quare *cum* — *tum*, quod innumerabilibus fere locis apud Livium invenitur, restituendum est etiam his locis I, 13 *in.*; 22 *in.*; 23 *ext.*; 40 *in.*

(*cum* — *tum praecipue* pro vulgata lectione *tum* — *tum praecipue*); 47 *ext.*; 57 *in.* et *ext.*; 59 *in.*; II, 9 *m.*; 17 *ext.*; 26 *m.*; 60 *ext.*; VIII, 1 *m.*; 7 *in.*; IX, 10 *in.*; 17 *m.*; X, 11 *in.*; 15 *ext.*; XXII, 46 *ext.*; XXVII, 49 *ext.*; XXX, 29 *ext.*; XXXI, 34 *ext.*; XXXV, 31 *ext.*. Recte autem dictum est *tum* — *tum* I, 21 *ext.*; significat enim *damals* — *damals*; sicut apud Tacit. *Dial.* 7 *m.* *tum* — *tum* significat *dann* — *dann*.

Apud Tacitum denique rarissime inveni *cum* — *tum*, bis scilicet in historicis eius operibus *Ann.* XII, 33 *in.*; scribendum est enim *cum* — *tum* pro vulgato *tum* — *tum*, quod nequaquam potest hoc loco intelligi *bald* — *bald*. XV, 48 *in.*; bis in *Dial.* 5 *in.* et 14 *ext.* Recte autem scripsit *tum* — *tum* *Ann.* XIII, 40 *ext.*.

Restat autem, ut de is loquar locis, quibus *cum* vulgo dicitur esse omissum, sed apparebit, istis locis non esse omissum *cum*, verum per se rite potuisse dici solum *tum*. Saepe quidem librariorum culpa revera omissum esse *cum*, supra iam vidimus; videbis autem, non raro homines doctos de coniectura temere inseruisse *cum*. Cf. Cic. *d. Nat. D.* I, 16, 43 *cum poëtarum autem errore coniungere licet portenta magorum Aegyptiorumque in eodem genere dementiam, tum etiam vulgi opiniones, quae in maxima inconstantia veritatis ignoratione versantur.* Potuit dicere Cicero *cum* — *tum etiam*, sed cum posuerit solum *tum etiam*, id per se perinde est rectum ac si quis dicat *dementiam, deinde vulgi opiniones*, pro quo alius dixerit *primum dementiam, deinde vulgi opiniones*. Sed quid plura in re apertissima? Sic *d. Div.* I, 24, 50. Ita prorsus *d. Off.* I, 21, 71 *sed videntur labores et molestias, tum offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam.* Alii dicent, omissum esse *cum* ante *labores*. Quis autem non miretur editores, qui quidem hoc etiam loco sint arbitrati, *tum* — *et* per anacoluthum nescio quem esse positum pro soloeco isto *tum* — *tum*, ac non perspexerint, brevius modo huncce locum scriptum esse pro *sed videntur cum labores et molestias, tum offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam?* Ex ista opinione absurdissima absurdissimi, ut par erat, orti sunt errores. Atque eundem quidem errorem, saepius commissum ab hominibus doctissimis, iam supra ad *Acad.* I, 4, 16 meo iure castigavi. Sic 31, 111, quo loco temere Lambinus inseruit *cum*. *Acad.* II, 1, 1; 14, 43. *d Fin.* I, 8, 27; II, 16, 53 temere multi inserunt *cum*, sicut *Tusc.* V, 3, 7. *d. Rep.* I, 34, 51. *d. Leg.* I, 3, 8; 13, 35.

d. Orat. I, 46, 201 temere commendat Orellius Lambini coniecturam, qui omisso *quoque* inseruit *cum.* Contra *in Verr. A.* II, *l.* I, 11, 31 cum optimis codicibus scribendum erat *Ego meum consilium cum iudicibus, tum populo Romano probavi;* atque sic iam Stephanus et Lambinus. Ceteri omnes omittunt *cum,* praeter Zumptium, qui soloece *tum — tum.* Iam erravit vehementissime Orellius *A.* II, *l.* III, 4, 8 *contraque sunt omnia cum summo dedecore ac turpitudine, tum singulari stultitia atque inhumanitate oblita,* quo loco illud *cum* habuit pro praepositione. *ad Fam.* V, 13, 3; *ad Att.* V, 20, 10 temere inseruit Lambinus *cum;* VI, 2, 9. Sic IX, 5, 2 *Et omitto causam reipublicae, quam ego amissam puto cum vulneribus suis, tum medicamentis his, quae parantur* sibi videtur persuasisse Orellius, *cum* esse praepositionem, non coniunctionem. XII, 9, *ext.* temere Orellius commendat Lambini rationem, qui de coniectura inseruit *cum.* Sic etiam in oratione *ad Quir.* 9, 22, quo loco temere Garatonius et Orellius probaverunt coniecturam Lambini, de qua inseruit ex uno codice *cum. p. Dom.* 32, 86 quo loco nequaquam debebat Orellius commendare coniecturam Lambini *cum — tum.* 49, 127 temere Lambinus *cum — tum.* — Sic Caesar *B. C.* III, 49 *ext.* — Sic Livius IX, 7 *in.;* XXXIII, 45 *in.,* — Sic Tacitus *Ann.* XV, 62 *m.*.

Verum haec hactenus. Poteram quidem hoc loco quaedam addere de discrimine indicativi atque coniunctivi post coniunctionem *cum*, quibusque condicionibus hic aut ille sit ponendus, sed cum iam nimis fuerimus longi, alio loco de ista re disputabitur. Poteram autem loqui de eis vocabulis, quae addi solent particulae *tum,* si augenda est et urgenda notio posterioris membri; sed res ipsa nihil fere habet difficultatis. Id modo erit inculcandum, in quo multos saepe et doctissimos homines vidi peccasse, apud neminem scriptorem ullo loco inveniri *cum — tum potissimum.* Nec id mirum; nam ea significatio, quae semper inest in vocabulo *potissimum,* ut praeter id, quod commemoratur, excludatur unumquidque, non sane sinit dici *cum — tum potissimum.*

Ibidem. *vetustate.* Hanc Mureti coniecturam verissimam, maximopere probatam dudum Ilgenio, nuperrimeque Doederlino *Syn.* III, 32, receptam iam ab Ernestio, Beckio, Schroetero, Schuetzio, Moebio, Orellio, Matthiaeo, Reutero, confirmavit unus codex Oxoniensis. Ceteri codices omnes, etiam Erfurtensis, ex aperta correctione habent *venustate,* quae lectio Cicerone esset indignissima. Non enim Cicero

tam ineptus fuisse existimandus est, ut diceret, *pudorem* Archiae fuisse comprobatum amicorum *venustate;* nam *venustas* amicorum (nos diceremus *Liebenswürdigkeit*) omnino nihil vere potest dici *comprobare*, ne ingenium quidem aut simile quiddam, nedum hominis *pudorem;* qui quidem contra vel aptissime dicitur *comprobari* amicorum *dignitate* atque *vetustate.* Nam de *pudore* tuo, si *veteres* habes amicos, qui *dignitate* praestant, nemo dubitabit; non tamen *pudor* tuus ita iam erit comprobatus, si potueris ostendere, amicos tuos esse *venustos.* Talia ne mulieribus quidem persuaderes, nedum nobis hominibus criticis. Quod autem dicebam, plurimorum codicum lectionem *venustate* ex aperta ortam esse correctione, id meo iure videor contendisse. Scilicet librarius cum opinatus esset, *vetustatis* vocabulum non posse aliter usurpari nisi de *temporibus antiquis*, neque meminisset, apud ipsum Ciceronem toties (exempla congessit Matthiaeus ad *epist.* 139, 3) hoc vocabulum inveniri pro *vetere notitia*, facile potuit offendi in isto vocabulo; atque si accedebat, ut recordaretur, interdum apud Tullium iungi *dignitatem* et *venustatem*, ut *Orat.* 48, 60 *Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem, tum venustatem!* (quo quidem loco *tum* — *tum* rectissime scriptum est; significat enim *bald* — *bald*), nihil facilius potuit fieri, quam ut incideret homo in coniecturam *venustate* pro *vetustate.* Istius autem antiquae coniecturae absurditatem traxisse alteram istam coniecturam *amicorum studiis*, supra ad verba *quem amicorum videtis* ostendimus.

Ibidem. *ingenio autem tanto, quanto id convenit existimari, quod.* In plerisque codicibus, in optimo etiam Erfurtensi, legitur *quanto* pro *quantum*, quod satis temere ex paucioribus ac deterioribus libris manu scriptis receperunt editores plerique. Apparet enim, si scripserit Tullius *quanto*, quod scriptum esse ab eo docent optimi ac plerique libri, facillime id propter difficultatem, quae inesse videbatur in isto casu, potuisse corrigi a librario in *quantum*, non vicissim. Nam si qui invenisset facillimum istud *quantum*, haut sane perspiceretur, cur cum eo commutavisset lectionem difficiliorem *quanto.* Scilicet imitatus est Cicero hoc loco usitatissimum illud Graecorum idioma, qui per attractionem casum pronominis relativi ei casui adaequant, in quo positum erat demonstrativum, etiamsi vere pronomen relativum alio debebat exhiberi casu, eo, quem requirebat verbum. Graece igitur haec verba redderes hoc pacto φύσει δὲ τοσαύτῃ, ὅσῃ χρὴ νομίζεσθαι, ἦν. Cf. Matthiaeum *Gramm. Gr.* §. 473, p. 885. —

De simili attractione supra 3, 4 diximus ad verba *in ceteris Asiae partibus cunctaeque Graeciae.*

Ibidem. *causa.* Ad hoc vocabulum haec annotavit Schroeterus: „Recte quidem illa prima: *homo pudore eo*, et *homo ingenio tanto:* sed qua tamen ratione, quo tamen exemplo hoc dicitur: *homo causa eiusmodi?* Nam ille modus loquendi ad sola ea pertinet, quae in homine ipso conspiciuntur, non quae extrinsecus habet; et, si iam hoc poterit probari, necesse erit, etiam talia probentur, velut *homo uxore mala*, aut *homo multis liberis*, et similia, quae nemo unquam dixit, et qui diceret, etiam a pueris derideretur." Similia Matthiaeus: „Post *homo causa eiusmodi* per se vix quisquam dicat; sed mollitur adiectis aliis ablativis." Ne tamen talia pro oraculis habeantur, iam afferendi erunt loci simillimi, ut *Tusc.* I, 35, 85 *Sit igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum a fortuna vulnus acceperit: Metellus ille honoratis quatuor filiis.* Sic de certissima Bentleii coniectura Davisius, Ernestius, Wolfius, Schuetzius, Orellius pro prava codicum lectione *honoratus.* Atque omnium saepissime invenies *hominem magnis rebus gestis*, ut *in Verr. A.* II, *l.* III, 90, 210 *qui tanta auctoritate sunt, tantis rebus gestis, ut in illo antiquorum et clarissimorum hominum, de quibus antea dixi, numero reponantur.* Sic *Philipp.* II, 6, 13 *L. Cotta, vir summo ingenio summaque prudentia, rebus is gestis, quas tu reprehendis.* VI, 5, 12 *sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi Romani, victoris dominique omnium gentium, patronum dicere auderet? ad Fam.* IV, 6, 1 *Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum et magnis rebus gestis, amisit.*

Ibidem. *huiusmodi.* Recepi hanc verissimam lectionem ex optimo codice Erfurtensi pro *eiusmodi*, sicut in ceteris legi dicitur codicibus. Nam tametsi supra rectissime dixerat orator *pudore eo*, non *pudore hoc*, propterea quod de *pudore* Archiae non poterat loqui, quasi de pudore tum maxime conspicuo, tamen, ubi ad *causam* transiit, quae profecto erat praesens, melius multo dixit *causa vero huiusmodi* quam *eiusmodi.*

Ibidem. *si qua.* Rectissime *si qua*, non *si quae.* Noluit enim Cicero, nec potuit dicere, illam divinam commendationem revera esse factam, nec, si id voluisset significare, dixisset *si qua*, sed *si quae*, nec *debet esse*, sed *est.* Tantummodo autem hoc significavit, tanta ingenia, quantum esset Archiae, iure ac merito posse vindicare etiam divinam, non solum humanam commendationem. Locutus est igitur Cicero de re *incerta.* Vide 5, 11 ad *si quae.*

Ibidem. *ingeniis.* Hanc praestantissimam optimi codicis Erfurtensis lectionem rectissimo iudicio iam recepit Matthiaeus; nam quod in ceteris legi fertur codicibus omnibus *negotiis*, ita est ineptum, ut mirere, ante Schroeterum neminem editorem videri intellexisse vulgatae lectionis absurditatem. Schroeterus enim, cum facile sibi persuasisset, personatum suum Ciceronem potuisse scribere tam inèpte, non cogitavit ille quidem de corruptela istius vocabuli, sed satis habuit, insignem ostendere insulsitatem lectionis vulgatae. Id adeo demonstravit Schroeterus iudicio tam acuto, vix ut quisquam melius unquam exploserit somnia librariorum. Quare totam Schroeteri annotationem huc transscribendam curavi, potius quam contrahendo eam mutilarem. Haec autem annotavit verissima: „Nimirum versus faciendi, recitandi, ad hominum aures et animos delectandos. Haeccine digna sunt praedicatione tanta? Non, o poëtae et vos caeteri, qui vestris artibus gaudia nobis et voluptates dulcissimas paratis, qui curas dispellitis, animos ad felicitatem deorum evehatis, non ingrati sumus erga vos, quod deliciarum harum negotium non tantum putamus, quantum in caeteris negotiis aliquod magnum numeretur. Sit honos cuique suus. Vestras artes amare possumus, quod delectant: at magna negotia sola ea putabimus, quae sint in rebus ipsis gerendis. In illis fortitudo, in illis constantia, in illis denique omnis virtus et vera animi magnitudo solis spectatur. Nam vestris artibus quid sit proprium et praecipuum, praeter habitum et conformationem, nihil video. Deinde, si vestrae artes ad delectationem pertinent, illae res solae pertinent ad libertatem, ad honestatem, et bona et fortunas, ea, sine quibus ne vita quidem ipsa expetenda videatur. Quare quantumvis licet istas artes ipsi amemus, stultum est, eas in negotiis magnis numerare. Et cui non ridiculum videatur, quod hic declamator de Archiae versibus plane ita loquatur, ac si in iis salus ac fortuna civium contineatur? Quis vero putet, adeo levem et pusillanimem hominem Ciceronem fuisse, ut etiam sui ipsius oblivisceretur, et in studiis poëtae alicuius Graeculi commendandis abuteretur verbis iis, quae etiam ad res suas ipsius praedicandas, ob quas appellationem patris patriae meruerat, satis amplae fuissent? aut tam impudenter loqui apud iudices quemquam ausisse (*ausum esse*), ut apud eos potissimum, qui munere ipso in rerum actu constituti essent, negotia iactaret eius, qui versus scriberet? Profecto sic praeter hominem scholasticum, audientibus pueris declamitantem, dicere nemo potuit."

Ibidem. *aeternum se testimonium laudis daturum.* Ve-

rissima est lectio optimi codicis Erfurtensis, complurium aliorum, *laudis* pro inepta scriptura ceterorum codicum *laudum*, quam miro iudicio adhuc omnes praetulerunt editores. Pluralis enim numerus ab huius loci sententia est alienissimus, si quidem *laudes* id significant, quod nos dicimus *Lobeserhebungen*. Sicut autem esset ineptissimus, si qui diceret *dare alicui aliquid laudibus* pro *laudi*, sic non minus inepte locutus esset Tullius, si dixisset *alicui* vel *alicuius periculis testimonium laudum dare*, quasi vero nos possemus dicere *jemandem das Zeugniss von Lobeserhebungen ertheilen* pro *jemandem das Zeugniss des Lobes ertheilen*; hoc est, *testari, aliquem laudandum esse*. Tenendum est autem, Latinorum *laudem* aliquanto gravius esse vocabulum quam nostrum *Lob*, quod multo esse languidius, ex hoc ipso loco poterit colligi. Iam vero quis audiret aut legeret talia *aeternum se testimonium laudum daturum*, nec offenderetur in ista terminatione *um*, toties deinceps posita?

Ibidem. *isque*. Sic verissime codices omnes, optimus etiam Erfurtensis, atque hanc lectionem suo iure restituerunt iam Weiskius, Moebius, Matthiaeus, Reuterus pro *quique*, quod, ut ortum, sicut videtur, ex antiqua coniectura, non debebant recipere tot editores. Atque ut commendaverat etiam Orellius, sic defendit librorum manu scriptorum lectionem Klotzius in *Quaest. Tull.* I, p. 137. Saepenumero enim, ut apud Graecos, sic apud Latinos, in continuanda sententia, quae inceperat a pronomine relativo, pergitur pronomine demonstrativo; velut loco simillimo in *Philipp.* I, 10, 24 *eas leges, quas ipse vobis inspectantibus recitavit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur, eisque legibus rempublicam contineri putabat, de provinciis, de iudiciis, eas, inquam, Caesaris leges nos, qui defendimus acta Caesaris, evertendas putamus?* Sic *Tusc.* V, 3, 8 *idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem, quem, ut scribit auditor Platonis, Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam.* Quo loco cum Davisius non meminisset usitatissimae illius loquendi rationis, prava abusus est coniectura hac *cumque Leonte* pro *eumque cum Leonte*, quam coniecturam non debebat commendare Ernestius. *d. Leg.* III, 2, 4 *Quod genus imperi primum ad homines iustissimos deferebatur, idque in republica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit. d. Orat.* II, 68, 276 *ut illud Nasicae, qui cum ad poëtam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla*

dixisset domi non esse, Nasica sensit, illam domini iussu dixisse et illum intus esse. 74, 299 *ut apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine consili atque ingeni Atheniensis ille fuisse Themistocles, ad quem quidam doctus homo atque in primis eruditus accessisse dicitur, eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus esse, se traditurum.* *Brut.* 20, 78 *De minoribus autem C. Sulpicius Gallus, qui maxime omnium nobilium Graecis litteris studuit, isque et oratorum in numero est habitus et fuit reliquis rebus ornatus atque elegans.* Quo loco Ernestius temere opinabatur eiiciendum esse pronomen relativum. *Orat.* 19, 61 *Sed iam illius perfecti oratoris et summae eloquentiae species exprimenda est, quem hoc uno excellere, id est oratione, cetera in eo latere, indicat nomen ipsum.* *Top.* 10, 44 *Quae commemoratio exemplorum valuit, eaque vos in respondendo uti multum soletis.* *p. Cluent.* 6, 18 *Quae hoc tempore sileret omnia, atque ea, si oblivione non posset, tamen taciturnitate sua tecta esse pateretur.* *p. Sest.* 18, 41 *Pompeius, quem virum, studiosum mei, cupidissimum reipublicae conservandae, domi meae certi homines ad eam rem compositi monuerunt, ut esset cautior, eiusque vitae a me insidias apud me domi positas esse dixerunt.* *ad Fam.* XII, 23, 2 *erat profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere et in cervicibus nostris collocare.* — Atque interdum etiam apud Latinos, ut saepius multo apud Graecos, in una eademque enuntiatione post pronomen relativum perspicuitatis causa positum invenitur pronomen demonstrativum, ut *p. Mur.* 15, 32 *quem L. Sylla, maximo et fortissimo exercitu, pugna excitatum, non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, eum bello invectum totam in Asiam cum pace dimisit.* Sic *Philipp.* II, 7, 17 *Quem, quia iure ei inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis eum esse superatum.* De utroque loco recte statuit Orellius; quamquam, quod ad posteriorem attinet locum, propter codicum turbas legendum esse coniecerim sic *Cui quia iure inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis eum esse superatum.* Vide supra 10, 25 ad *cui cum.*

Ibidem. *eo numero, qui semper apud omnis sancti sunt habiti.* Ita plane *d. L. Agr.* II, 14, 37 *Sed illud magis est credendum et pertimescendum, quod audaciae decemvirali corrumpendarum tabularum publicarum fingendorumque senatusconsultorum, quae nunquam facta sunt, cum ex eo numero, qui per eos annos consules fuerunt, multi mortui

sunt, magna permittitur potestas. p. *Quint.* 23, 75 *In huiusmodi sponsionem testis dare oportebat ex eo numero, qui haec dicerent: vadimonium mihi deseruit: me fraudavit.* in *Verr. A.* II, *l.* II, 18, 44 *Quare enim primum ille ipse adesse noluit, cum ex eo numero iudices haberet, quos postularat?* Quo loco temere Ernestius pro *quos* coniecit *quo.* p. *Marc.* 7, 21 *an ex hoc numero, qui una tecum fuerunt?* Quem ad locum Wolfius mira annotavit haecce: „Nec Ciceronianum videtur *ex eo numero, qui fuerunt,* etsi hoc fortasse defendi potest simili constructione in orat. *pro Arch.* §. 31." Nec enim raro offensus est ipse quoque Wolfius in rebus vel maxime Tullianis. — Sic Sall. *B. I.* 35 *m. Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati erant, paullo inconsultius Massivam aggreditur.* 38 *m. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum transiere ad regem.* — Sic Liv. XXIV, 31 *ext. expertique, quam vana aut levi aura mobile vulgus esset, militem nacti ex eo numero, qui in Leontinis circumsessi erant, subornant.* XXVI, 1 *m. dum ne quem militem legeret ex eo numero, quibus senatus missionem reditumque in patriam negasset ante belli finem.* XXXIII, 24 *ext. adiectumque, ut in eo numero legatorum P. Sulpicius et P. Villius essent, qui consules provinciam Macedonicam obtinuissent.* XLII, 34 *in. Sp. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis appellaverant, a consule et ab tribunis petiit, ut sibi paucis ad populum agere liceret.* — Contra rarius multo invenies *numerum eorum, qui fuerunt,* ut bis, quantum scio, apud Ciceronem: *d. Orat.* II, 13, 56 *Atqui ne nunc quidem, quamquam est in republica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt.* in *Vatin.* 17, 41 *in illorum enim numero mavult T. Annius esse, qui a te vituperantur.* — Atque sic saepenumero quidem invenitur *hic numerus, is numerus,* raro tamen *horum numerus, eorum numerus.* Cf. supra 7, 16 *ex hoc esse hunc numero.* *d. Amic.* 11, 38 *Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt.* *d. Off.* I, 1, 3 *nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest.* *d. Invent.* II, 2, 5 *ex eo numero virginum, quae tum erant.* Quo loco temere Lambinus scripsit *earum* pro *eo.* *d. Orat.* I, 3, 11 *in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens.* 20, 91 *me in illo numero proferebat.* p. *Rosc. Am.* 33, 93 *tu es in eo numero, qui nostra pecunia dives es.* 43, 126 *quo in numero Sex. Roscius non est.* in *Verr. A.* II, *l.* I, 6, 15 *quo in numero e vobis complures fuerunt.* *A.* II, *l.* III, 11, 27 *quo in numero ma-*

gnus ante te praetorem numerus fuit. 29, 70 bis *Ex quo numero?* 45, 108 *aratores Centuripini, qui numerus est in Sicilia maximus.* 48, 114 *aratores Centuripini, qui numerus in agro Leontino maximus est.* 77, 180 *Sint aliquae civitates in eo numero, quarum frumentum improbare nolueris.* *A.* II, *l.* IV, 1, 3 *aut ex quo potius numero, quam ex ipsis laudatoribus tuis?* *A.* II, *l.* V, 11, 28 *Itaque nonnullae ex eo numero in convivium adhibebantur.* 38, 101 *qui ex illo numero reliqui Syracusas refugerant.* *p. Font.* 3, 6 *Quem ex tanto hominum numero testem in hac causa producere potestis? quis est ex eo numero, qui vobis auctor placeat?* *p. Flacc.* 4, 9 *sed sunt in illo numero multi boni, docti, pudentes.* 19, 44 *Ex hoc tanto numero deductus est nemo* *p. Syll.* 13, 39 *negare noluit esse in eo numero Syllam.* *in Cat.* I, 4, 9 *Hic, hic sunt in nostro numero, qui cogitent.* *p. Planc.* 1, 2 *Video enim hoc in numero neminem.* *Philipp.* II, 11, 25 *Cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum.* 29, 71 *quo numero fuisti?* XI, 10, 25 *At mittent aliquem de suo numero.* XII, 6, 13 *tamen eorum ora sermonesque, qui in urbe ex eo numero relicti sunt, ferre non possumus.* *ad Fam.* VII, 6, 1 *Quo in numero tu certe fuisses.* XII, 2, 3 *Habes auctores consili publici, qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset.* XIII, 23, 1 *homo et patrono et patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus.* — Sic in epistola Lentuli *ad Senatum* apud Cic. *ad Fam.* XII, 15, 7 *quo ex numero se quoque esse dicebant.* — Sic Cornel. Nep. XXV, 1, 4 *quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero.* — Sic Caes. *B. G.* III, 7 *ext.* *quo in numero erat T. Terrasidius.* 27 *in.* *quo in numero fuerunt Tarbelli.* VII, 75 *ext.* *quo sunt in numero Curiosolites.* *B. C.* II, 44 *ext.* *quo in numero erat Ser. Sulpicius.* III, 53 *in.* *In eo fuit numero Valerius Flaccus.* 103 *ext.* *In hoc erant numero complures Pompeii milites.* — Sic Sall. *B. C.* 42 *in.* *Ex eo numero compluris in vincula coniecerat.* *B. I.* 18 *in.* *Ex eo numero Medi.* 40 *ext.* *effecerat, ut ipse in eo numero crearetur.* — Sic Liv. XXIV, 47 *ext.* *cui ubi nuntiatum est, decem ex eo numero iussis inermibus deduci ad se.* XXXII, 26 *in.* *missis ex eo numero, qui servitia sollicitarent.* XXXIX, 36 *ext.* *quo in numero hi quoque duo fuerunt.* — Contra paucis tantum locis invenies *quorum numerus* et similia, ut apud Cic. *Acad.* II, 5, 15 *quorum e numero tollendus est Plato.* *d. Fin.* II, 1, 1 *quorum e numero primus est ausus Leontinus Gor-*

gias poscere quaestionem. *p. Marc. Tull.* §. 56 *ex quorum numero saucius factus est nemo.* *p. Mur.* 33, 69 *quarum ex numero multi sedent iudices.* — Sic Cornel. Nep. VI, 1, 5 *Horum in numerum nemo admittebatur.* — Sic Liv. XXV, 1 *m. quorum numerum auxit rustica plebs.* XXXII, 26 *in. Augebant eorum numerum.* XXXIII, 24 *ext. dum ne quis in eorum numero esset, qui hostis fuisset.* — Sic Tac. *Ann.* II, 32 *ext. quorum e numero L. Pituanius saxo deiectus est.* 37 *m. hos, quorum numerum et pueritiam videtis.*

Ibidem. *habiti itaque dicti.* Plerique codices, optimus etiam Erfurtensis, hoc loco pro vulgata omnium fere editionum lectione *atque*, quae quidem deteriorum ac pauciorum nititur librorum auctoritate, praebent verissimum illud *itaque*, quod mirandum est solos recepisse Graevium et Matthiaeum; quamquam ipse quoque Orellius iam commendaverat. Sed unus, quod sciam, Klotzius allatis, ut par erat, locis simillimis ostendit, veram esse plurimorum librorum scripturam in *Quaest. Tull.* I, p. 138. Attulit enim hos duos locos *in Verr. A.* II, *l.* II, 35, 87 *Haec et alia Scipio non negligenter abiecerat, ut homo intelligens Verres auferre posset, sed Thermitanis restituerat —; nunc is locis posita sunt, ut mihi semper Scipionis fore videantur itaque dicantur;* et *Brut.* 15, 57 *Quem vero exstet, et de quo sit memoriae proditum eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus.* Ita fere *d. Off.* II, 20, 69 *Sed cum in hominibus iuvandis aut mores spectari aut fortuna soleat, dictu quidem est proclive, itaque vulgo loquuntur, se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi.* Cf. *d. Fin.* III, 2, 9 *Sed resideamus, inquit, si placet; itaque fecimus.* V, 6, 17 *Quid autem sit, quod ita moveat, itaque a natura in primo ortu appetatur, non constat.* *Tusc.* I, 30, 72 *Ita enim censebat, itaque disseruit, duas esse vias duplicisque cursus animorum e corpore excedentium.* Quo loco Bouherius pro *itaque* temere coniiciebat *atque.*

Ibidem. §. 32. *quae non ferme mea iudicialique consuetudine.* Hoc loco et ab antiquis et ab recentioribus editoribus plerisque eae sunt receptae lectiones, quae cum nulla admodum nitantur librorum manu scriptorum auctoritate, tandem erant expellendae. In codicibus enim optimis ac plerisque, in ipso quoque Erfurtensi, haec corrupta leguntur verba *quae firme a me iudicialique consuetudine.* Unus codex Dresdensis emendatione maxime improbabili (namque is plu-

rimis locis est interpolatus) praebet hanc lectionem *quae non fori iudicialique consuetudine*, quam nequaquam debebat commendare Orellius. Non minus prava est lectio in codice Pithoei *quae firmo a me iudicialique sermone*, sicut lectio codicis Zuiccaviensis *quae sermone a me iudiciali consuetudine*. Satis infelicibus autem coniecturis homines docti hunc locum studuerunt sanare. Vel Schroetero scribendum videbatur sic *quae sermone alieno a re iudicialique consuetudine*, Garatonio *quae a foro aliena iudicialique consuetudine*, quas suspiciones veras esse, haut sane quisquam sibi persuaserit. Atque ea quidem coniectura nescio cuius hominis docti, quam adhuc pleraeque editiones receperunt, ita longe recedit a codicum scriptura (idem valet de coniectura ista in codice Dresdensi), ut sic a Cicerone non esse scriptum, pro certo possis affirmare. Is quidem, qui incidit in istam coniecturam, sine dubio erat recordatus eorum verborum, quae ab initio orationis dixerat orator 2, 3, ubi haec leguntur *Sed ne cui vestrum mirum esse videatur, me hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat.* Quare erravit Schroeterus, qui quidem propter solam tautologiam, quae esset in verbis *fori* et *iudiciali*, istam coniecturam ferri posse negaverit. Etenim eadem fere tautologia, si qua est, usus erat Cicero supra. Sic etiam *Brut.* 31, 120 *Nam ut Stoicorum astrictior est oratio aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt, sic illorum liberior et latior, quam patitur consuetudo iudiciorum et fori.* Sed inest aliquid aliud in ista ipsa lectione vulgata, quod a Cicerone non potuisse scribi, tot homines doctissimos non vidisse, satis mirari non queo. Quis enim credat, tam putide locutum esse Ciceronem *non fori neque iudiciali*, aut *non fori iudicialique consuetudine* pro *non forensi neque iudiciali*, aut *non forensi iudicialique consuetudine;* sicut utique tum erat scribendum? Atque hoc quidem unus omnium perspexerat Lambinus, qui de coniectura, quamquam temeraria, id ipsum receperat *quae non forensi, neque iudiciali consuetudine.* At enim hominibus doctis magis erat inquirendum in codicum vestigia, et, nisi me fallit, eam ex is mihi videor eruisse lectionem, quae est verissima. Scripsi enim *non ferme* pro *firme*, tum *mea* pro *a me.* Scilicet, qui invenerit in libris fere omnibus atque optimis hoc loco corruptum vocabulum *firme*, non poterit, quin incidat in coniecturam *ferme*, quod ipsum in nonnullis libris manu scriptis dicitur legi. Porro, qui bene versatus est in lectione Tulliana, statim debet recordari, vocabulum *ferme* non fere aliter,

paucissimis locis exceptis, apud Ciceronem inveniri, nisi praegressa particula neganti, atque ea quidem notione, qua nos solemus dicere *nicht eben*. Ita plane *Tusc.* V, 38, 111 *Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos.* Sic *d. Rep.* I, 45, 69 *hoc in hac iuncta moderateque permixta conformatione reipublicae non ferme sine magnis principum vitiis evenit.* II, 5, 10 *nam hanc rerum tantam potentiam non ferme facilius ulla in parte Italiae posita urbs tenere potuisset.* 34, 59 *quorum auctoritas maxime florebat, quod, cum honore longe antecellerent ceteris, voluptatibus erant inferiores, nec pecuniis ferme superiores.* Cf. Haudium in *Turs.* II, p. 695. Particula negans autem remansit revera in uno illo codice Dresdensi, atque aperte in ceteris ideo omissa est codicibus, quod librarii, qui pro *ferme* legerant *firme*, facile intellexerunt, tum particulam *non* utique non posse retineri. Hac igitur facillima ex vestigiis codicum facta coniectura *non ferme*, quam tamen coniecturam esse recte negabis, quia et *non* in uno codice servatum est, et ipsum *ferme* in nonnullis legi dicitur codicibus, tantummodo restant corrupta vocabula *a me*, pro quibus levissima mutatione scripsi *mea*. Prope nulla igitur coniectura adhibita sic hunc locum, conclamatum fere, emendavimus *quae non ferme mea iudicialique consuetudine — locutus sum;* hoc est *was ich nicht eben nach meiner und gerichtlicher Sitte — gesprochen habe*, ut respiciantur ea verba, quae paullo ante dixerat *Quae de causa pro mea consuetudine breviter simpliciterque dixi.* Nunc vero nemo sane offendetur neque in sententia loci neque in verbis. Nam quod dixit orator *iudicialique*, non *nec iudiciali*, quod iam audio multos desiderare, id fecit rectissime; etenim voluit significare, *suam consuetudinem* non esse aliam atque *consuetudinem iudicialem.*

Ibidem. *communiter.* Nos diceremus *im Allgemeinen.* Ita plane *d. Off.* II, 10, 36 *Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quae magna et praeter opinionem suam animadverterunt, separatim autem in singulis, si perspiciunt necopinata quaedam bona.* *d. Fin.* IV, 2, 4 *Qui cum viderent, ita nos esse natos, ut et communiter ad eas virtutes apti essemus, quae notae illustresque sunt, iustitiam dico, temperantiam, ceteras generis eiusdem.* *d. Inv.* I, 18, 25 *Nunc quiddam brevi communiter de utroque praecipiendum videtur.* 26, 39 *Et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas eius est consideranda.* II, 4, 12 *Hoc quamquam ita est, tamen cum communiter quaedam de omnibus*

praecipi possint, separatim quoque aliae sunt cuiusque generis diversae praeceptiones. 12, 38 *atque hae suspiciones partim ex negotio separatim, partim communiter ex personis atque ex negotio proficiscentur.* 15, 50 *Atque hoc sit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium.* 49, 146 *deinde utra lex de genere omni, utra de parte quadam, utra communiter in pluris, utra in aliquam certam rem scripta videatur. ad Fam.* XIII, 12, 1 *Alia epistola communiter commendavi tibi legatos Arpinatium, ut potui diligentissime: hac separatim Q. Fufidium.* Miror autem, de hac vocabuli significatione adhuc non cogitasse lexicographos, ne novissimos quidem editores Forcellini.

Ibidem. *ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certe scio.* Restitui ex codicibus omnibus verissimum illud *certe* pro *certo*, quod inde ab Ernestio de huius coniectura temere receperunt editores omnes praeter Schroeterum. Mira fuit enim adhuc hominum doctorum opinio, cum verbo *scio* non posse iungi *certe*, sed omnibus locis, quibus in codicibus legeretur illud *certe scio*, id corrigendum esse in *certo scio*. Hunc gravissimum hominum criticorum errorem optime perstrinxit Klotzius ad librum *d. Senect.* 1, 2 p. 74 seqq., qui quidem acute, ut solet, de discrimine disputavit utriusque dictionis: ibi scilicet dictum esse *certo scio*, ubi is, qui loqueretur, voluerit contendere, id certum esse, quod sciret, contra *certe scio*, ubi voluerit contendere, certum esse, se scire: respondere igitur Latinorum *certo scio* nostro *ich weiss gewiss*, contra *certe scio* nostro *ich weiss wirklich.* Addere poterat, nos id, quod Latini in dictione *certe scio* significarunt addito *certe*, plerumque solere exprimere graviore tantummodo sono, quem ponimus in verbo *ich weiss*, melius aliquanto quam additis particulis eiusmodi *wirklich*, *sicherlich.* Atque illa quidem ratione, ut alios multos locos, sic hunc ipsum nostrae orationis locum rectissime defendit Klotzius; dicit enim, oppositum esse hoc *certe scio* illi superiori *spero*, ac voluisse Ciceronem significare, hanc non esse meram spem, sed iustam scientiam (*wirkliches Wissen*). Similis vero inest oppositio in eo ipso loco, ad quem de hac re disseruit Klotzius. Haec enim ibi leguntur *hoc enim onere, quod mihi commune tecum est, aut iam urgentis aut certe adventantis senectutis et te et me ipsum levari volo: etsi te quidem id modice ac sapienter et ferre et laturum esse certe scio.* Opponuntur *certe scio* et *volo.* Sic etiam illo loco, de quo idem Klotzius rectissime iudicavit, *Philipp.* XII, 12, 29 *facite, hoc meum consilium*

legiones novas non improbare: nam Martiam et quartam nihil praeter dignitatem et decus comprobaturas esse, certe scio. Opponuntur enim *certe scio* et *facite*, hoc est, *ponite.* Schroeterus autem quamquam recepit *certe scio*, vehementer tamen erravit, quod opinatus est, *certe* non pertinere ad verbum *scio*, sed referendum esse ad illa *ab eo.* Tum enim dicere debebat Cicero *ab eo certe, qui iudicium exercet*, *scio*, sicut fere locutus est *ad Att.* X, 12, 2 *Non credo*, *ut est luculentus auctor: potuisse certe teneri illam provinciam scio.* — Tametsi vero Klotzio, qui quidem ipse per sese illam utriusque dictionis explicandae invenit rationem, haec debetur laus, quod primus ille loco laudato cum hominibus doctis istam communicavit explicandi rationem, tamen idem illud discipuli Portenses dudum eramus edocti a carissimo Ilgenio, cuius elegantissimum de talibus rebus iudicium nunquam satis potui admirari. Idem fere docuit nuperrime Handius in *Turs.* II, p. 18.

MENDA.

Pag. 23, v. 33 pro *illa* lege *ita.*
Pag. 28, v. 44 pro *edoctus* lege *edocti.*
Pag. 160, v. 12 pro *Itaqua* lege *Itaque.*